





# VITA R. P. F. IOANNIS DVNS SCOTI ORDINIS MINORVM DOCTORIS SVBTILIS;

*AVTHORE*

R. P. F. Lucâ Wadingo Hiberno, Ordinis Minorum historiographo, Sacræ Theologiæ Professore gen. Inquisitionis Romanæ censore & collegij S. Isidori in vrbe Guardiano.

*Acceßit Panegyricus æternæ memoriæ, & famæ Ioannis Duns Scoti Doctoris Subtilis dictus & dicatus ab ornatißimo viro ac Domino Vernulæo S. Th. L. & publico eloquentiæ Professore Louanij.*




MONTIBVS,

*Typis*, F. WAVDRÆI Filij, *sub Biblijs*. 1644.





*REVERENDO ADMODVM*
IN CHRISTO PATRI, AC D.


# D. AVGVSTINO
## DE FELLERIES

Antiquissimi iuxtà, ac Nominatissimi
BONÆ SPEI
in Hannoniâ Monasterij Canonicorũ
Regularium S. Norberti
*ARCHIMANDRITÆ DIGNISSIMO*
Fratres Minores Recollecti Conuentus
Montensis.

DOctorem Subtilem Ioannem Duns Scotum *aliàs inuidâ æmulorum maledicentiâ denigratum, illustrium virorum calamo honori suo restitutum Reuerendæ adm. Dominationi Tuæ fi-*

*ã 3* *stimus*





*stimus, Tuoq; Nomini nuncupamus: in cuius enim alterius asylum tutius, aut conuenientius conuolaret summus ille Sapientiæ Magister? cuius alterius sinum appeteret, nisi Adm. Reuerẽdæ Dominationis Tuæ, æquitatis, sapientiæ, & sapientum peramantissimæ? Ad sapientis & æqui iudicij tui stateram, Reuerenda adm. Domine Præsul, appendimus graues iniurias Doctori in vitâ innocentissimo, in doctrinâ illibatissimo illatas, veraciter relatas, ac docto, solido, modesto tamẽ stylo repulsas absque vllo liuore, & felle amaritudinis, prout Scriptorem decebat Religiosum charitate præditum, vt tanquam, iustus iudex vitæ innocentiam tuearis, & doctrinæ integritatem, calumnias dissipes, necnon virtutum encomia solidè comprobata protegas æquitatis tuæ clypeo,*

*peo, atque ſapientiæ tibi innatæ ſplẽdore reddas illuſtriora. Fac iudicium, & iuſtitiam, ac libera vi oppreſſum de manu calumniatorum: ſemper enim miſericordiam, & veritatem, ac ſapientiæ lumen dilexiſti, atque imprimis, cum in curâ animarũ per multos amicos præfuiſti populo Dei, corde docili & intelligenti inſtructus eum bene rexiſti, ſcientiâ & doctrinâ paviſti, vnicuique feciſti ſatis cum Apoſtolo factus infirmis infirmus, vt infirmos lucrifaceres, omnib' omnia factus vt omnes faceres ſaluos,* 1. Cor. 9. *donec è tot doctiſſimis, prudentiſſimis, Religioſiſſ. misq́; Aſcetarij tui viris pedo & infulâ dignis vnus ſuffectus es illuſtriori portioni gregis Chriſti, poſitus es ſuper candelabrum tanquam lucerna ardens & lucens, vt igne charitatis & ſapientiæ tuæ amplius ardeſcas & fulgeas, &*

*ſicut*

*sicut primùm paruulis in Christo lac potum dedisti, ità nunc inter perfectos loquaris sapientiam.* 1. Cor. 2. *Testes etiã sunt illius sapientiæ tuæ, & charitatis, addam, & eloquentiæ exhortationes ad populum, quas summâ cum laude varijs in solemnitatibus in templis nostris, & alijs è suggestu frequens inuitatus habuisti.* Taceo *singularem tuam in rebus agendis prudentiam, promptum, & subtile ingenij acumen, liberalitatem, cæterasq́ue virtutes, quas & dignitas tua requirit, & modestia prohibet recensere. Silere tamen non licet tuum erga Religiosos omnes Ordines affectum, quos diù sub inaugurationis tuæ tẽpus cogratulatoria variorũ poëmatũ munuscula tibi certatim deferre cernim⁹, muneri nostro deesse nos putaremus, meritoq́ue ingratitudinis vitio notandos, si nihil è penu nostra*

*noſtra paupere promeremus. Quare Reuerendæ admodum Dominationi Tuæ virtutes, ſapientiamq́; Doctoris Subtiliſsimi terſo tenuique penicillo delineatas offerimus ceu duos denarios Pauperculæ Euangelicæ, quos miſit in gazophilaciũ Domini, quoſque magis Deo gratos aſſeruit Veritas,* Marci 12. *quam multa æra diuitum Phariſæorum, & aliorum in illud iactantium. Accipe igitur hoc animi noſtri deuotum monumentum, & æternũ in vtroque homine ſoſpes familiæ tuæ Norbertinæ, Regularibus alijs, pauperibusq́; omnibus viue.*

E Conuentu noſtro Montenſi, 26 Aprilis, 1644.

## LECTORI BENEVOLO.

MVlti Ioannis Scoti vitam descripserunt: non pauci apologias pro eius famæ indemnitate ediderunt: plurimi de eius laudibus egerunt: ac ferè omnes scripta illa sua alijs lucubrationibus aut præmiserunt, aut inseruerunt. Et nominatim R. P. Lucas Wadingus, hanc, quam recudi curauimus vitam, Annalibus suis laude & fide dignissimis inseruit tomo 3. ad annũ 1304. & 1308. & postmodum per varia capita distributam operibus Scoti impressionis vltimæ Lugdunensis præfixit. Ad prælum verò separatim reuocandam duximus, ne vel magna illa volumina emere tenearis, vel piâ & curiosâ eius lectione priuêris, & eâ priuatus, si quam forte,

nescio

nescio ex quâ famâ mendaci de Tanto Doctore sinistram opinionem concepisti, deponere nequeas. *Mendacem famam*, quę de Scoto maledica est, appellauimus, quia talem esse vincit Wadingus, & alij Scoti vindices, atque famā omnem *Mendacem* indigitat Tertullianus in Apologetico aduersus gentes c. 8. [ Natura famæ omnibus nota est. Vtrum est fama malum, quo non velocius vllum? cur fama malum? an quia plurimum mēdax? quę nec tunc quidem, cùm aliquid veri affert, sine mendacij vitio est, detrahens, adijciens, demutās de veritate. Quid? quod illi conditio est, nonnisi cum mentitur, perseueret, & tamdiu viuit, quamdiu non probat, siquidem vbi probauit, cessat esse, & quasi ex officio nunciandi functa rem tradit, &

exinde res tenetur, res nominatur, nec quisquā dicit, &c. *Et postea.* Fama incerti est, locum non habet, vbi certum est. An verò famæ credit nisi incōsideratus? quia sapiens non credit incerto. Omnium est existimare quantâcumque, illa, ambitione, diffusa sit, quantâcumque asseueratione constructa. Quòd ab vno aliquando principio exorta sit, necesse est exinde in traduces linguarum & aurium serpat, & ità modici seminis vitium cætera rumoris obscurat, vt nemo recogitet, ne primum mendacium seminauerit, quod sæpe fit, aut ingenio æmulationis, aut arbitrio suspicionis, aut nouâ, sed ingenitâ quibusdam mentiendi voluptate. ]

INDEX

# INDEX CAPITVM.

C*Ausa scribendi.*
Caput primum.
*Scoti patria.*
Caput secundum.
*Scoti ortus, pueritia, Initiatio.*
Caput tertium.
*Admirandus in litteris profectus.*
Caput quartum.
*Docet, scribit Oxonij.*
Caput quintum.
*Modestè scribit, & Catholicè.*
Caput sextum.
*Quæ scripserit Parisijs.*
Caput septimum.
*Lutetiæ lauream suscipit Doctoris, & pro immaculatâ Virginis Mariæ conceptione decertat.*
Caput octauum.
*Coloniam mittitur, & quâ de causâ?*
Caput nonum.
*Scoti Mors, sed qualis?*
Caput decimum.
*Authoris iudicium, & aliorum de Scoti morte testimonia.*

Caput vndecimum.
*Epitaphia ad Scoti tumulum appensa.*
Caput duodecimum.
*Dubium incidens, an subscripserit Scotus operibus Raymundi Lulli?*
Caput decimum tertium.
*Varia Scoti funeris translationes.*
Caput decimum quartum.
*Scoti pietas, & plurima virtutes.*
Caput decimum quintum.
*Eius scripta Ecclesiæ Dei valde esse proficua.*
Caput decimum sextum.
*Scoti doctrinam summo prosequuntur odio hæretici.*
Caput decimum septimum.
*Scoti doctrinæ obijciuntur contentionis studium, & docendi obscuritas; sed vtrique occurritur obiectioni.*
Caput decimum octauum.
*Scoti doctrina multorum commẽdatur elogijs.*
Caput decimum nonum.
*Scoti discipuli.*
Caput vigesimum.
Epilogus.

Appro-

## *Approbatio Theologorum Ordinis.*

PLanè conuenit, vt Doctor Subtilis, ac Marianus, atque Theologiæ Princeps F. Ioannes Duns Scotus calamo R. adm. P. Lucæ Wadingi Lectoris emeriti, Ordinis Minorum historiographi reuiuiscat; qui stilis quorumdam proscissus, iterum quasi videbatur obijsse: vt in memoriâ æternâ sit, & ab auditione malâ vindicetur. Actum Duaci in Conuentu FF. Min. Recoll. 23. Maij 1644.

*F. Paulus de Becourt Sacræ Theologiæ Lector Iubilatus.*

*F. Cyrillus Preud'homme Sacræ Theologiæ Lector Iubilatus.*

---

## *Licentia R. P. Prouincialis Prouinciæ S. Andreæ FF. Minorum Recollectorum.*


COncedo, vt vita R. P. F. Ioãnis Duns Scoti à R. P. F. Lucâ Wadingo Sacræ Theologiæ Ord. Min. Lectore Generali & emerito descripta aliàs & modò ritè approbata ad eiusdem Doctoris gloriã, & imitationis exemplũ recudatur. Datum in Conuentu nostro Montensi 9. Aprilis. 1644.

*F. Samson le Fort Minister Prouincialis.*

## Approbatio Censoris Ordinarij.

LIber, cui titulus est, *vita R. P. F. Ioannis Duns Scoti, &c.* nihil continet fidei Catholicę aut bonis moribus aduersum. Candidè, eruditè, & eleganter Doctoris Subtilis præclara facinora, ac doctrinam comprobat, iniuriosa & apocrypha dispellit religiosâ Modestiâ, & charitate seruatis. Quare Inquisitionis Romanę Censore, Sacræ Theologiæ Professore emerito &c. necnon prælo dignum opus censeo. Datum Montibus Hannonię 22. Aprilis, 1644.

*Ioannes du Trieu Sacræ Theologiæ Bacchalaureus formatus, Beguinagij Parochus Archiepiscopalis censor.*



# VITA SCOTI.

## CAVSA SCRIBENDI.

### CAPVT PRIMVM.

FÆLICES Viri magni, si inuidiam nō conflarent: vt pestem hanc fugiant, miseros esse oportet. Sola miseria inuidiâ caret. Percurre animo terras omnes, sæcula præterita, cunctas historias euolue, vix insignem virum malo hoc immunem reperies. Iter facientes per Solem, necessariò comitatur vmbra; incedētibus per gloriam, comes inuidia. Præclara igitur facinora, & res à quopiam egregiè gestæ, magnum plerumque liuorem, & graues calumnias conflare solent, atque ob id magnos legimus interdum viros, vt securi viuerent, & virtutem ad tempus, & ingenium occultasse. Ioannes Scotus vir probus, virtute integrâ, doctrinâ singulari,

*Viris magnis alij inuident.*

*Scotus quorumdam passus inuidiam.*

ri, ſublimem gloriam aſſecutus, certam hanc expertus eſt malæ ſociȩ ſequelam, ne inter bonos bonorum ſortem videretur ſuperaſſe.

Quidã liberioris, quàm par erat, calami, glorioſè vagantẽ obſcurare, & comprimere illius famam tentârunt; ſed tardè nimis, poſſidente ſinceros animos æquo ante aliquot ſæcula iudicio. Vt tanti viri ego conſulerem honori, detractoribus eo animi candore occurrendum duxi, vt illis inoffenſis, ſuus Scoto maneat honos; & abſque calumnijs, calumniȩ refellantur: neque enim illorum vituperio, ſed huius laudi ſtudeo, cuius vitam ſincerè ſcribendam, non ȩmulorum vlcera acerbiùs fricanda in animum induxi. Tanti viri decor ab aliorum dedecore non pendet, neque illorum ignominia ingeniorum Phænici quidquam aduehit excellentiȩ. Scotus ſupra omnem inuidiam eſt; æmulatoriæ mentes vti inuidere poſſunt, ſed nocere non poſſunt: ita fulgentiſſimo ſyderi nubes opponuntur, ſed non imponuntur; & dum diſcutiuntur, ingenitæ luci nihil accedit claritatis. Sol aliquando laborat, ſed ipſo nitet labore; ſemper idem, ſiue conſtipentur aëris paſſiones, ſiue diſſipen-

ſipentur. Qualis itaque fuerit Scotus fulgentiſſimum pietatis, & ſapientiæ iubar, non qualem eum quidam efformant, ſeu deformant, ſeriò deſcribam: & quidquid alij in quæſtionem vocarunt, abſque quæſtionum contentione vel clariùs diſſoluam, vel tamquàm probabiliùs exponam. Patria, ætas, mors, hęc plus cęteris incerta, neque in his nos quidquam plus certi ſtatuemus, quàm quod ratio, ſine auctoritas ingenuis Viris velit eſſe perſuaſum.

## SCOTI *Patria.*

## CAPVT SECVNDVM.

DE Patriâ certant Hiberni, Angli, Scoti. Tanti enim Viri gloria deſiderium excitat, vt vnaquęque ex Prouincijs ciuem aſſerat ſuum: nō aliter quàm Gręciæ Vrbes olim pro Homeri natalitijs acriter pugnarint, vti teſtatur Cicero pro Archiâ: *Homerum*, inquit, *Colophonij Ciuem eſſe dicunt ſuum, Chij ſuum vendicant, Salaminij repetunt, Smyrnæ verò ſuū eſſe confirmant: itaque etiam delubrum eius in op-*

*Tria regna pro Scoti natalitijs decertant.*

*Cicero.*

*Antipater Sanazarius lib. 1. Epigram. Plutarchus.*

*in oppido dedicauerunt: multi alij praeterea pugnant inter se, atque contendunt.* Alias enumerant vrbes Antipater, Actius Sincerus Sanazarius *in suis epigrammatis* & Plutarchus *in Homeri vitâ.* At pro Scoto sibi vendicando, non oppida, sed regna; non vrbes, sed integrae decertant Prouinciç. Studium laudo, gloriam non inuideo; nulli genti quod suum est, detractum velim: neque me aequè quis condemnabit, si alijs non adiudicauerim, quod meum esse multi proclamant. Domesticos testes missos facio, causam enim agunt suam, Cauellum, Conneum, & si quos alios nostrates: externos conuoco, ex aduersâ classe produco Anglos, qui facilè cedant, Scotos à iudicio repellant, & Scotum Hibernis adscribant. In Chronicis Angliae, Scotiae, & Hiberniae Anglico idiomate editis in initio catalogi Sriptorũ Scotiae, ita inquit Chronologus: *antequam huius quod tractaturus sum, discussionem aggrediar, oportet (non vt quidquam detraham gloriae nationis Scoticae) dicere quid censeam, de quibusdam Scriptoribus Scotis pro talibus habitis per multos Scotorum Historicos, qui obseruantes multos eruditos Scriptores vocari Scotos, omnes transferunt in suam Scotiam. Sed in eo mihi videntur nimis auari, alijs auferentes,*

*Angli Scotum esse negant. Chron. Angl. Fol. 487.*

*tes, quod ipsis iure debetur: quia (vt verè suppono) multi eorũ, qui Scoti vocantur in Hiberniâ sunt nati; nam (si me non fallit memoria) vsque ad recentia tempora, paulò ante conquestũ. Hiberni vocabantur Scoti; & hinc est quod Scoti. & Hiberni* Duns (Doctorem subtilem intelligit) *Columbanum, & alios vtrique suos esse contendunt; alijs asserentibus in Scotiâ natos, alijs Hibernos esse affirmantibus; & Scotos reprehendentibus, quòd eos sibi prætenderent. Nã licet Scoti ex Hiberniâ venerint, & Hiberni Scoti dicti fuerint, rationi dissonum est vocare Scotum in Hiberniâ natum, nomine Scoti in Scotiâ natum, vt faciunt nonnulli Scriptores sub amphibologico nomine Scoti.* Descriptionem Hiberniæ olim à Richardo Stanihursto, Anglo genere, etsi in Hiberniâ orto, Professore publico in Academiâ Oxoniensi, concinnatam, Anglicè edidit cum iconibus Raphael Holinshed Elizabethæ Reginæ Chronographus; in quâ ita habetur: *nomen* Scotia *non ita priaem, sumi caoit, pro illâ Britannia parte, quæ modò* Scotia, *Hibernis* Albania *dicitur. Varij antiqui Hiberni Scriptores putantur in Scotiâ, id est Albaniâ, nati, quorum tamen natale solum verè Hibernia est. Famosus ille Magister* Ioannes Duns Scotus, *aliàs* Doctor subti-

Stan hurst.

ſubtilis, *à ſubtilibus quidditatibus, in ſcholaſticis controuerſijs ſic nominatus, in Hibernia natus eſt, pro Scoto tamen habetur. Aliqui putant natum in oppido Tathmon, non procul à VVexfordiâ; ſed alij natum aſſerunt* in Dun *peruetuſtâ ciuitate, in Boreali Hiberniæ parte ſita, indeq; autumant cognominatum* Duns. Ita Annales Anglici; atque illi in Angliâ vernaculo ſermone conſcripti iudicant de Scoto, vt Hibernis non Anglis, neque Scotis debeat adiudicari.

Vernul. Tertium addo teſtem Belgã, is eſt ornatiſſimus vir, Nicolaus Vernulæus celeberrimus Louanij eloquentiæ Profeſſor, qui *Hibernis adiudicatur.* in Panegyrico, æternæ memoriç, & famæ, Scoti dicato, dum eum Anglis, & Scotis negat, Hibernis apertè aſſerit, his verbis: *Tuus verò eſt, o Hibernia, tuus ille* Scotus, *quem tibi celeberrima, ac peruetuſta vrbs* Duns *tamquam æternæ gloriæ pignus quoddam, & ingeniorum omnium mira-*

Amalth. *culum genuit.* Quartum do Italum Paulum Amalthçum, qui circa annum 1490. in Epigrammate, quo laudat Commentarios Scoti in metaphyſicam Ariſtotelis, per Mauritium de portu Hibernum, Archiepiſcopum Tuamenſem caſtigatos, ita canit:

Aſſer-

*Assertor meus est praesentis gloria saecli,*
*Mauritius Consors ingenij, & Patriae.*

Conterraneos, seu eiusdem Patriæ consortes Scotum facit, & Mauritium; quod & ipse prædicat Mauritius in Epistolâ nuncupatoriâ: *Quantum* inquit, *rem Christianam iuuerit* Ioannes Scotus *conterraneus meus.* Neque solùm eiusdem regni, sed & regionis, seu populi, vult cum eodem consortium; paulò namque inferiùs subiungit: *Ego, non quia melius quàm caeteri id praestare possum, sed officium potius, & pietatem secutus, cùm nuper in haec* Scoti *popularis mei monumenta incidissem, &c.* Populum autem, vel locum natiuum Mauritij Portum esse, à quo cognominatur de Portu, à Duno versus Adriam, duabus, vel tribus leucis distantem autumat Cauellus, vir doctus illius regionis. Littus sanè multis viculis consitum, scribit Camdenus, Dunumque in extremi Promontorij Lecaliæ Isthmo, vetustæ memoriæ oppidum; mox Sedem Episcopalem Sanctorum Patritij, Columbani, & Brigidę tumulo nominatissimum floruisse. Sed Portum hunc Mauritij verius alij in Momoniæ Prouincia constituunt.

Maur. Hibern.

*Vide eumdē Mauritium in praefatione ad quaestiones Dialecticas Scoti.*

*Cauell. in v. Scoti.*

*Camden. in comitatu Dunensi.*

His adiungo ex eâdem metaphyſicâ, non leue argumentum, ipſis Scoti verbis conceptum. Nam vt explicaret mentem Philoſophi, dicentis in definitione accidentis copulati ponendum eſſe neceſſariò determinatum ſubiectum, ſubdit iſtud exemplum. *Sicut*, inquit, *in definitione S. Franciſci, vel S. Patritij ponitur neceſſariò homo*: occurrerunt enim ex affectu mentis, Religionis, & nationis Patroni; Franciſcus inſtituti, Patritius regni: ità namque in conſuetudinem abijt, vt quos feruenter amamus, faciliùs ſermone compellamus, & quos affectu fouemus, exprimamus affatu.

Adnecte deinde traditionem populi Dunenſis, indignè ferentis, ſi quis ſibi perſuaderi permittat contrarium. Adde etiam conſpirationem totius regni, & innatam vniuerſis Hibernis, ad Scoti dogmata propenſionem: neque enim Franciſcanis dumtaxat, & Profeſſis doctrinę aſſeclis, verùm & omnis inſtituti viris (ſolos illos excipias, qui iurarunt in D. Thomæ doctrinam) inditum hunc Scoticæ ſubtilitatis conſpicies affectum, & deſiderium ingens, præferendi gentilis ſui dogmata, quibuſcumq; doctrinis externis. Demum coronidis loco eam produco rationem, conuenire patriæ,

triæ, quā prę'cribimus, cognomen Duns, & agnomen Scoti, vt illud à ciuitate, vel oppido natiuo, hoc à regno, vel familiâ deducatur. A Duno Duns contractè pro *Dunsius*, vel *Dunsensis*: Scotus à regno, quod etiam Scotię nomine, vti & Hiberniæ, non solùm per priora sęcula, vti multi viri docti, plus quàm apertè productis manifestis testimonijs, & optimis monumentis, demonstrant, verùm & hac ipsâ Scoti ætate audiuisse, vltrò liquet ex Prouinciarum partitione, à S. Bonauenturâ præscriptâ, quam alibi ex vetustis,[c] & M. SS. Ordinis monumentis, in gratiam antiquitatis, & primarum Prouinciarum notitiam produximus in lucem. Etenim vigesima sexta ita inscribitur: *Prouincia Hiberniæ, siue Scotiæ*: cùm tamen Monasteria regni, quod nunc Scotię nomine insignitur, coaluerint ob suam paucitatem sub Prouinciâ Anglię, & custodiâ Nouicastri; si tamen sub illâ Bonauenturæ partitione, aliquem habuerint tunc Scoti conuentum. Nam si verum est, quod scribunt Thomas Demsterus,[d] & ex eo Matthæus Ferchius Veglia,[e] *Monasterium Dunfersij, omnium Scoticorum* (inquit Demsterus) *primum, non nisi Anno 1262. ab Alano Deuorgillæ conditum, sub illa diuisione facta, Anno 1260 nullum*

*Vnde dictus Duns?*

*Vnde Scotus?*

*Hibernia dicta Scotia.*

c In Annal. ad An. 1262. n. 14.

d Demster. in appar. Hist Scot. lib. I. tit. de Religione.

e Veglia in vita Scoti, c. 2.

Maha.

*nullum erat Monasterium Minorum in Scotia: atque ita nulla facta est inter Prouincias, neque inter custodias Scotiæ Albionum memoria; sed Hiberniæ Prouincia sub vtroque nomine, & Scotię, & Hiberniæ, recensita est.* Atque vel hoc sanè testimonio mihi ampliùs probatur, quod Gerardus Mahu, Ordinis S. Benedicti, scripsit in vita S. Aidani die 31. Augusti, & in Additionibus ad eandem quæ habentur in fine Tomi 3. nimirum optimos quosque authores vsque ad annū octingentesimum, imò millesimum, absoluto nomine Scotiæ, absque alio addito, intellexisse Hiberniam, quod ille pluribus deductis testimonijs, ex vetustis, & probatis monumentis plus satis probat.

*a* In Annal. an. 1224. num. 66.

*Minores quando Scotiā ingressi.*

Moneo obiter, me dixisse aliâs *a* introductos Minoritas in Scotiam anno 1224. assertionis enim habui authorem Illustriss. D. Franciscum Gonzagam: sed hunc annis 7. lapsum ipse asserit Demsterus citatus: idq; ex fide Codicis manuscripti, quē sub nomine Scotichronicorū passim legentibus obijcit, vbi ait *b* Minores Scotiā penetrasse an. mil. ducen. trigeſ. primo. Quod si ita est, meū non constabit assertum, quo aliàs *c* dixi per plures annos prius Minores Scotiam, quàm Hiberniam penetrasse.

*b* Scotichr. l. 9. c. 47.

*c* an. 1660.

Ete-

Etenim saltem hoc anno, quem assignat Demsterus, vel alio anteriori largiùs probaui a eos in Hiberniam peruenisse. Sed & aliorum retuli b opinionem, qui volunt priùs illuc transmissos, idque mihi omninò persuasum vellent Patres Prouinciæ Hiberniæ, qui dicunt sibi de his suppetere non infirma monumenta, quæ tamen adhuc non protulerunt. Horum fidem meo dubio infringi ego nolim, neque authoritatem eneruari: nihil tamen vndequàque certũ, omnisque dubij expers inuenio circa originem Minorum in hoc, vel illo regno. Illud dumtaxat mihi certũ est, plures & breuiori tempore sibi statuisse sedes in Hibernia; quippe ante Capitulum Narbonense sub Sancto Bonauentura coaluerunt in integram Prouinciam, in custodias quinque diuisam; quam in Scotia, quę etiam anno 1359. vti ad illud tempus dixi in Annalibus, pauca domicilia habuerit, sub nomine dumtaxat VICARIÆ, & anno 1399. quo scripsit Bartholomæus Pisanus c librum conformitatum, recensebantur Monasteria Scotiæ, sub prædicta Custodia Nouicastri, videlicet Conuentus Dunfrisij, Bernici, Adingtonæ, Dundæ, & alij, quod dũ obseruaret Ferchius citatus, subiunxit:

a An. 1230. n. 19.

b An. 1214. n. 11.

Pisan.

c Confor. 11

Quare

*Quare ab Anglis religio migrauit ad Scotos, & Franciscanorum Monasteria Scotorum Anglicanæ Prouinciæ aggregata sunt, & vnita.*

*Eneruantur Scotorum fundaméta.* Vt verò ad propositum regrediamur, nullum firmū, aut indelebile video subesse Scotis argumentum, vt IOANNEM SCOTVM ciuem asserant suum. Quòd enim præcipuum adduci solet ex agnomine Scoti, facilè eludi potest ex affixâ etiam Hiberniæ, per tot sęcula, eâdem appellatione. Traditioni autem, quâ in Prouinciâ Marchiæ, in vico Dunsæo natus asseritur, alteram opponunt Hiberni, quâ in Prouinciâ Vltoniæ, in vrbe Duni vetustissimâ, ortum contendunt. SCOTI etiam cognomen à familiâ, non à natione, aut regno deriuari potuit: nam & hæc Scotorū ex familijs deducta appellatio, creberrima est, tum in Hiberniâ, tum in Belgio, & in Italiâ.

*Item Anglorum.* Quod verò maximum ab Anglis, Zelādo præsertim affertur, ex inscriptione, quā passim ait in codicibus Bibliothecæ Martonensis Oxonij comparere, nimirum: *Explicat lectura Doctoris subtilis, in vniuersitate Oxoniensi. super libros sententiarum, scilicet Doctoris* IOANNIS DONS, *nati in quadam villa de Emylden, vocata Dunstane (contractè Duns) in Comitatu Northumbriæ, pertinente ad dominium Scholasticorum de*

Mar-

*Marton Bauulæ in Oxonio & quondam dictæ Domus socij*. non adeò irrefragabile est, vt Scriptorem, vel Scoti originis nescium, vel adscititię glorię cupidum reijci non possit. Et pari ratione responderi possit ad eos, qui cum Pisano, vel alijs dicunt Prouinciæ Franciscanorum Anglicanæ Scotũ fuisse. Nam vel ex diuturuo tẽpore, quo in prędicta vixit Prouincia, ita licuit suspicari, vel reuerà potuit, vti passim, & quotidiè fit, ex Hiberniâ ad Anglicanã Prouinciam transmeare, vel etiam quid si dicam in eadem initiari? & priùs in dicto Collegio Martonensi, ob singulare, & rarũ acumen ingenij, licet externus, contra commune, quod obijcitur, statutum, admitti. De hominis origine contenditur, quàm vel ipsos Anglos diximus, superiùs Hibernis adiudicare. Certè ipsum eiusdem Epitaphium, quod in omniũ ore versatur, contra Anglos vltimam fert sententiam.

*SCOTIA me genuit, ANGLIA me suscepit, GALLIA me docuit, COLONIA me tenet.*

Anglia, inquit, *suscepit*, vel ad sacri instituti rationem, vel ad Scholasticam capessendam, aut efformandam disciplinam.

Tandē verò ita hęc pro Scoto Hibernis vendicando, sincerè congessi, vt minimè me causam contra alios omninò euicisse

uicisse putem; non enim tantùm mihi tribuo, vt qui aliorum argumenta dixerim solubilia, mea iudicauerim responsionem omnem respuere. Noui enim non defuturos, qui his meis rationibus alias opponant, & vlteriori conatu Scotum repetant, ciuemque asserant suum. Id per me liceat, dum vrbanè & Christianè absque liuore, & felle amaritudinis, causam egerint. Vt enim Scoti gloriæ est tot vindices habere; ita illis ignominiæ vertetur, si modestię fines transiliant. Hoc interim adijciam; si in causâ dubiâ ferenda sit sententia, potiorem habendam esse Hibernorum rationem. Etenim si pro meritis præmium, & pro labore merces adscribenda sit, nullis nisi Hibernis adiudicandus est SCOTVS. Quis enim aliquando ex Scotis, aut Anglis, in SCOTO illustrando, aut operibus eius castigandis operam publicam insumpsit, aut laborem impendit? Quis eorum à calumnijs defendit? Vltra omnes laborauerunt in hoc genere Hiberni: Mauritius Hibernicus, Archiepiscopus Tuamensis, in Academiâ Patauinâ multorum annorum Professor publicus eius opera elucidauit, tersit, Commentarijs explicauit. Hugo Cauellus Hibernicus, Archiepiscopus Armachanus,

**Hibernis meritò debetur Scotus,**

nus, & Hiberniȩ Primas, eadem denuò expoliuit, ad authographorũ veritatē reduxit, spuria à genuinis distinxit, adjectis notis marginalib9, citatisq; Doctoribus pulchriora fecit; & insertis ad omnes dubias, obscuras, aut ab alijs impugnatas sententias, doctissimis Scholijs pro omnium votis, cum omniũ laude vltra quàm dici possit, egregiè clarificauit; itaut summo desiderio, & magno pretio conquirantur, quæ priùs negligebantur, & dum aliæ priores editiones vbique prostabant, absq; emptoret, huius postremæ non sit inuenire volumen.

Denique cùm Scoti Manes agitaret Abrahamus Bzouius, atque vltra omnes, quotquot prȩcesserunt, famam denigraret; quis ex Scotis, aut Anglis eius defensionem suscepit? quis pro conterraneo pugnauit? Soli Hiberni tamquam pro suo ciue, causam susceperunt, stilum acutum in Bzouium retorserunt, Scotum ab iniustis calumnijs palàm & doctè vindicarunt. Primus se opposuit prædictus Cauellus. Magistrum sequutus est Hugo Magnesius, etiam Hibernus, editis in Bzouium, eiusque defensorem Nicolaum Ianseniũ binis Apologijs. Mox disertissimè & solidè

totam rem peregit author Nitelæ Franciscanæ Religionis, item Hibernus ad singulas iniurias minutim respondens, calūnias omnes veritatis pondere, veluti Sole nubes discutiente, mirâ dexteritate refellens. Hi omnes Hiberni hominis innocentissimi integritatem, & à detractoribus illatam iniuriam, omnibus manifestam voluerunt, & fecerunt. Itaque si Hibernorū calami, & doctæ elucubrationes SCOTVM illustrant, quos potiùs, quàm Hibernos, illustrare debet SCOTI natiuitas? SCOTO honorem diligenter impertiunt, ab eius ortu honorem sibi debitum vicissim reposcunt. Quare si ipsâ causæ euidētiâ non euincunt, saltem meritorum titulo, sibi SCOTVM adiudicandum non desperant. Suus est ex meritis SCOTVS; suus etiam erit ex proborum iudicio.

## SCOTI *ortus, pueritia, initiatio.*

### CAPVT TERTIVM.

HIs prolixiùs pro SCOTI incunabulis præmissis, reliquam breuiùs vitam prosequemur. Natus est anno millesimo ducentesim. sexages. sexto, si verum est, quod Andreas Theuet scribit, obijsse

ijsse scilicet anno 1308. annum agentem quadragesimum tertiũ. At si, quod alij volunt, annos vixit dũtaxat triginta quatuor, eius natiuitas incidit in annum 1274. quo etiam mortuus est Seraphicus Doctor S. Bonauentura, mirâ Dei prouidentiâ ita suauiter disponente, & pusillo Minorũ gregi consulẽte, vt vno doctrinę sole occidẽte, alter Minoribus oriretur. Puerulus (vti refert traditio,) *a* dum litteris incumbit, nõ tamen sine labore, & tædio, ob mentis stuporem, & ingenij hebetudinem, quâdam die sub arbore solitarius, Virginem sacratissimam, Dei genitricem multis lacrymis, & precibus orat, vt intellectum illuminare, viuum, & vegetum; & ad scientias capessendas facilem, efformare dignetur. Cui mox somno correpto, Deipara dignanter apparet, scientiarum copiam, & multam in eisdem addiscendis exprimendisque facilitatem promittit, eo tamẽ imposito onere, adhibitâque conditione, vt sibi per easdem, vbi occasio se obtulerit, studeat inseruire. Expergefactus summã concepit de tanta apparitione, & illuminato intellectu, lętitiam, crescente in eo quotidiè sapientiâ, & ad doctrinę mensuram, erga Virginem sacratissimam deuotione.

*a* Cauell. c. 1.

*A B. Virgine bono donatur ingenio.*

B Ado-

Adolescentulum iam Grammaticis initiatum, Oxonium ductum à duobus Minoritis, scribit Ioannes Maior, a atque in Minorum ęde gratia istorum Fratrum conuersatum, instituto nomen dedisse. Circa initiationis locum discrepant authores, Hiberni Dunum, Scoti Dunfrisium, Maior Oxonium, Ioannes Pitseus b apud Nouum Castrum in Northumbria, Matthęus Ferchius c VVare Custodiæ Londinensis, idque ex Pisano & Rodulpho d assignat, sed Pisanus, & Rodulphus illinc prodijsse Scoti Magistrum, non autem Scotum ipsum, asseuerant. Ego verò in tantâ sententiarum varietate initiationis locum reputo incertum.

a Maior de gestis Scotor. l. 4. c. 16.

*Fit Minorita, & vbi?*

b Pits. de Script. Angl. c. ad ann. 1308.

c Ferch. cit. c. 2.

d Pisan. & Rodolph. in Custodia Londini.

## *Admirandus in litteris profectus.*

## CAPVT QVARTVM.

OXonij, siue alibi initiatus, grauioribus litteris operam dedit, Præceptore Willelmo de Warra, siue Gulielmo Varrone, vti alij appellant. Ioannem vocat Pisanus, sed vel error est, vel alius fuit

*Scoti Magister,*

fuit etiam Scoti Magister. Dum enim bis ipse Scotus *a* in suis operibus Willelmi de Warra mentionem agit, adnotat Mauritius Hibernicus, *b* Scotum suum citasse Magistrum: eique communiter Scriptores hunctribuunt Preceptorem, immò & in circuitu sepulchri eiusdem Scoti apud Colonienses, inter quindecim Doctores, quorum nomina, & cognomina in ære sunt incisa: scriptum est ità: *Magister Gulielmus Varro Preceptor* Scoti, vti aliàs *c* admonuimus; & encomia eius ex alijs produximus authoribus. Huius opera erudita valdè, in libros Sententiarum, asseruantur apud Minores Conuentuales Chamberij in Sabaudiâ. Quod verò Trithemius, *d* Sixtus. Senensis, *e* & Bzouius *f* Scotum dicant Alexandri Alensis discipulum, planus est error; etenim Alensis priùs vitam absoluit, quàm eandem Scotus inciperet, Annum quo natus est Scotus; iam deduximus superiùs, ex certo, & statuto ab omnibus mortis tẽpore: Alensis verò decessit anno 1245. vti suo loco largiùs docuimus; *g* anno saltem vno vltra viginti, ante Scotum natum: vel secundùm aliorum opinionem, annis fermè triginta. Quin & duas classes Do-

*a* Scot. l 5. Metaph q. i
*b* Mauritius ibid.
*c* An. 1270. num. 36.
*d* Trithem. de script.
*e* l. 4. Biblioth. c.
*f* Bzou. ann. 1294. n. 4.
*Non fuit discipulus Alensis.*
*g* Ann. 1245. n. 19.

ctorum inter Alensem & Scotum numerare licet: videlicet DD. Bonauenturam & Thomã, deinde horũ discipulos, Ægidium Romanum, & Richardum de Media-Villa, Scotus tertiâ post Alexandrum classe successi. Hinc ipse Bonauenturam sub antiqui Doctoris appellatione recenset. a

*a Scot. in 1. d. 16 q. 1.*

*Omnes fermè possedit scientias.*

Adeò verò in studijs profecit Oxonij, vt breui Magister in omnibus scientijs euaserit: nulla enim est ex liberalibus, quam non se plenè possedisse passim in suis operibus ostendat. Logicâ tam acutè vsus est, vt nihil vltrà fieri posse videatur. Quapropter à non percipientibus eius acrimoniam (quod imperitorum est proprium). Sophista captiosus arguitur. Physicam calluit, vt quàmmaximè, & eam frequentissimè accersit ad res Theologicas enucleandas. Metaphysicam perfectissimè tenuit, adeò vt quidam ausi fuerint eum in Metaphysicis Aristoteli præponere. Alij volunt eius Philosophiam peripateticam singularem esse; atque ad Philosophos Aristotelicos, contra fidem sese armantes retundendos efficacissimã, vt cùm multi Theologorum aduersus hæreticos polleant, Scotus aduersus Philosophos, tanquam Princeps prælium ducat,

cat, Mathematicam possedit egregiè. Geometrices peritiam tam luculenter demonstrat, *a* vt ad Scotum intelligendum, nemo nisi peritus Geometer sufficiat. Astrorum notitiam ostendit, necnon & Optices callentissimum se probat, *b* Iuris Ciuilis rara *c* in eius operibus dicta, Canonici verò apprimè multa. *d* Aliquando acutè refellit glossatorem, *e* aliquando profert plura Sacrorum Canonum loca, vt suam sententiam maximè circa res morales stabiliat. Theologiæ prestantiam in eius commentarijs ad quatuor libros Magistri Sententiarum, adeò plerique admirantur, vt *Theologorum Principem* vocitare non vereantur. Diuinarum Scripturarum cognitione ita enituit, vt plures ex Sacro Codice libros Commentarijs illustrauerit.

*a* in 2. d. 2. q. 9.
*b* ibid. 14. q. 2.
*c* in 4. d 43. q. 3.
ib. d. 13. q. 1. & 4. d. 10. q. 9.
*d* in 2. d. 13 q. 1. & 4. d. 10. q. 9.
*e* in 4 d. 6. q 8. d 7. q. vlt. & d. 13. q. 2. d. 25 q. 4.

*Aliorum de eius doctrina encomia.*

Non me displiciturum puto Lectori, si de eius eruditione tantâ, & fœcundissimâ scientiarum comprehensione, vnum, aut alterum, proborum virorum testimonia subijciam. *Fuit*, inquit Pitseus, *f vir ingenio planè ad litteras facto, & ad miraculum subtili atque acuto, vt non tam hominem acie mentis stupendum, quàm inter argutos Philosophos quemdam dixeris Deum.* Historia vniuersalis Hartmanni

*f* Pits. cit.

a Schedel. in 6. mundi ætate, fol. 331

b Bellarm. de script.

c Boet. l. 1. hist. Scotor.

d Senens. l. 4 Biblioth.

e Trith. de Scriptor.

f Ciaccon. in vita Clem. V.

g Bergom. in supplem. Chronic.

h Rioche in compend. temp. l. 4. c. 48.

i L-sl l. 7. de rebus Scotor. ad an. 1330.

Schedelij: *a Ioannes Scotus Ordin. Minorum Theologus subtilißimus, anno Dom. 1300. vel circà velut alter Apollo floruit, & præ cæteris Theologis subtilißima quædam opera edidit.* Cardinalis Bellarminus, *b Vir fuit acutißimo ingenio præditus.* Hector Boëtius, *c tantæ eruditionis Theologus, vt eius ingenio illud sæculum censeri posset indignum.* Sixtus Senensis, *d Vir admirandæ eruditionis, subtilitate præditus.* Trithemius: *e Vir in diuinis Scripturis studiosus & eruditus, & in Philosophiâ Aristotelicâ doctissimus, & adeò profundus, vt eius scripta paucis sint penetrabilia, & ob id quoque minus vsitata.* Alphonsus Ciacconius, *f in diuinis Scripturis, & Philosophiâ Peripateticâ versatissimus, ob ingenij acumen, & rerum abditarum accuratissimas interpretationes.* Doctor subtilis *vocitatus.* Iacobus Philippus Bergomensis, *g Theologorum subtilissimus per hoc tempus velut alter Apollo floruit, & præ cæteris Theologis subtilissima edidit; quantum valent eius Commentarij in diuinis Codicibus, absque nostro testimonio ipsi ostendunt.* Ioannes Rioche *h Vir omni sapientiâ profundus, & peritus. vnde &* Doctor subtilis *nuncupatur* Ioannes Lesleus Episcopus Roffensis. *i Tanto fuit ingenij acumine,*

*iudi-*

*iudicij in doctrinæ cognitione, vt Theologiam illam reconditiorem quam Scholasticam vocant, multis sublimitatibus exquisitis, felicissimè auxerit, in quibus quod multa, quæ in obscuro posita latebant, è tenebris acerrimâ ingenij perspicientiâ eruerit, qui eius vitam, ac doctrinam auidiùs consectantur, immò qui quæstionis alicuius intimiam rationem ad viuum resecant ac subtiliùs perscrutantur, Scotistæ summâ tanti ingenij laude vocantur; quasi nihil sit, aut tantâ difficultate interceptum, aut tam densâ caligine inuolutum, quod Scoti ingeniũ nõ potuerit penitus inspicere, ac clarè aperire. Verùm hoc illius gloriã aliquantulum imminuit, quod quæ inuestigauit sapienter, nõ ita Orationis cultu illustrauit: quod tamen puto non tam Hominis, quàm ætatis, quæ cultorem loquendi modum aspernata est, vitio accidisse.*

Verum est eam ætatẽ non ita orationis cultui studuisse; ita tulit illud sæculũ, in quo Theologi & Academici, non tam in verbis nitidè proferẽdis, quã in rebus ipsis clarè explicandis, & ritẽ intelligẽdis, operã omnẽ impenderũt. Atq; diuina illa mysteria nescio quid habẽt maiestatis, vt cõptulos mòdos humanæ spernant eloquẽtiæ, & venerãdę simplicitatis, vt fucũ omnẽ, politi abhorreãt sermonis. Proindè viri magni, *Res diuinæ facundiam spernunt humanam.*

qui huiusmodi perscrutantur arcana, non qualiter dicant, sed quid dicant, reuerenter attendunt. Peculiarem habent suum loquendi modum; qui eò clariùs, quò demissiùs secreta pandunt diuina. In hoc dicendi genere simplicitas hęc eloquentia est, *a Quæ viros summâ authoritate dignissimos, planèq; diuinos decet. Hæc illi locuti sunt, nec ipsos decet alia, nec alios ipsa: ipsis enim congruit, alios autem quantò videtur humilior, tantò altiùs non ventositate, sed soliditate transcendit.* Res diuinę, *b non persuasibilibus humanæ sapientiæ verbis. sed in ostensione spiritus & virtutis* explicantur, & dum veritatem dumtaxat proponunt, non expetũt phaleratos, sed simplices sermones. *c Quæ veritati operam dat oratio, incomposita debet esse & simplex.* Nihil ergo detrahit Scoti laudibus, neque gloriam eius minuit, quod peculiari illo Theologorum loquendi genere, candido & simplici sit vsus sermone. Lege Picum Mirandulanum, qui in pręfatione ornatissimus est, in descriptione Scholastica nudus, & ieiunus. Sanè Scholasticę subtilitates, & anfractus vix huiusmodi nitorem patiuntur.

a August. l. 4. de doctrin. Christian. c. 6.

b 1. Cor. 2. v. 4.

c Seneca e. 40.

Doces,

## *Docet, ſcribit Oxonij.*

### CAPVT QVINTVM.

TAnto itaque Oxonij litterarum incremento enituit in ipsâ adoleſcentiâ Scotus, vt humanas vires, & communem naturę curſum tranſcendiſſe viſus ſit, & verum eſſe probauerit, quod ſuprà *a* retulimus de peculiari Dei dono concedendo, per Virginis Deiparæ, ſibi apparentis, interceſſionem. Tantum porrò lumen, ſui inſtituti Rectores, non ſub modio abſcondendum, ſed ſuper candelabrũ ponendum decreuerunt. Quare euocato ex Academiâ Oxonienſi ad Pariſienſem, Guilelmo Varrone, eius, vti diximus, *b* Præceptore, ad cathedram Theologalem regendam, Scotus ſuffectus eſt Præceptori. Vtroque hoc viro adeò floruit vniuerſitas Oxonienſis, vt cateruatim illuc confluxerint auditores, & vltra cenſum communem trium millium ſtudioſorum ſub annum 1300. quo tempore illic legit Scotus, triginta millia fuiſſe recenſita, ſcribit Pitſeus. *c* Concurrebãt enim, teſte Rodulpho, *d* ex finitimis cunctis Ciuitatibus, & penè

*a* c. 3.

*b* Suprà c. 4.

*Legit magno applauſu Oxonij.*

*c* Pitſ. de Academia Oxonij c. 6.

*d* Rodulph. in vita Scoti.



penè ex omni mundi angulo, plurimi ad eum videndum, & audiendum, quem tanquam quoddam cæli oraculum venerabantur. *Nihil enim tam occultum, inquit prædictus Author, a & abstrusum, quod perspicax eius ingenium non penetrauerit, & è tenebris eruerit; nihil denique tam nodosum, quod ille quasi quidam Oedipus, non dissoluerit: nihil, inquam, adeò erat difficultate interceptum, vel densâ caligine inuolutum, quod Scoti ingenium non potuerit explicare.*

a Pits. de Scriptor.

*Scripsit ibidem in sententias, & quando?*

Scripsit autem Oxonij, vltra Philosophica eruditissimos Commentarios, in quatuor libros Sententiarum, profundiùs in primum, diffusiùs in quartum. Incepisse hoc opus post annum 1300. constat ex secundâ quæstione prologi, b vbi ait anno prædicto multos Mahometi cultores occisos fuisse, & plurimos fugatos. Hæc dixisse putem de Cassano Tartarorum Rege, qui desponsatâ sibi Regis Armenorum Christiani filiâ, Christianam ipse suscepit fidem, & deuictis Persis, pulsoque Ægyptiorum Imperatore Syriæ iura dabat. Huic,

b Scot. q. 2. §. de septimo.

a Huic, indicto Romæ Concilio, Bonifacius validum misit subsidium, quo adiutus fortiter egit contra Mahometanos. Secundò citat b Scotus Decretalem, quâ Bonifacius VIII. approbat librum sextum Decretalium; data est sexto Nonas Martij, anno quarto Pontificatus, qui incidit in annum Christi 1298. Tertiò citat c Bullam Benedicti XI. qui anno 1303. vndecimo Kalend. Nouembris, suffectus est Bonifacio. Quare post hæc tempora hos scripsit Commentarios, nisi fortassis priùs opus absoluerit, & postea illa suis locis inseruerit.

a Æ.nil. in Phil. pulchro.

b Scot. in 4. d. 6 q 8.

c Ibidem d. 25. q. 1.

Similiter occurrendum est eis, qui scrupulum mouerint, ex eo quod scriptum *Oxoniense* dicatur; Scotus verò Parisijs habitauerit anno 1304. vti constabit ex litteris proximè adducendis, quo tamen probabilius est Benedictum XI. nonnisi ad finem anni præcedentis electum, dedisse litteras, quas dicit se legisse; vti namque diximus, potuit Parisijs diploma vidisse, & dum scripta percurreret, commodo loco dubium intexere.

Hoc

Hoc autem opus, etsi Authoris immaturâ morte ab incudibus ablatum, omnes summis laudibus extollunt: *In eo monstrauit, quod fuerit ingenio perspicacißimus*, ait Ferchius citatus, a *& in rerum abditarum perscrutatione auidißimus, non contentus exteriore quâdam superficie doctrinæ, sed ad veritatum profunditatem aspirans, sicut disceptationum eiusdem prolixitas, opinionum expensarum varietas, & argumentorum cõgestorum pluralitas demonstrant. Duabus in rebus excelluit: prima quidem in famosis propositionibus valdè accuratis, & vniuersalibus eruendis, ad quas tanquam ad principia resoluit subtilissimè theoremata quæque vnde fit, vt illis, seu fortissimis munimentis Scotistæ tum arguendo, tum respondendo euadant robustissimi. Secunda, in rerum proprijs rationibus, vel essentijs, siue vt Scotistæ loquuntur, quidditatibus, & rationibus formalibus indagandis est incomparabilis. Cùm enim à rerum essentijs accidentia siue communia, siue propria ea sint, pendere noscantur, præcipuus Doctorum scopus in entium*, quod quid est, *noscendo consistit. Accedit natiua quædam Scoticæ subtilitatis longanimitas, quam & in propositionibus, & speculationibus constantem discernis; ob idq; requirit lectorem valde attentum, & laboriosum, alio*quin

a Ferchius c. 6.

*quin fructu vacuum dimittit.* Commentarios hos redegit in locos communes magno studio & labore Hieronymus Ferrariensis, Ordinis Prædicatorum, quos, teste Pascalino, a Regiselmo Veneto, censuit fœcundos, amœnosque hortos fœlicium arborum excelsarum contemplationum, in agro Ecclesiæ satarum.

a Pascal. in Epist. oper. nuncupat.

## *Modestè scribit, & Catholicè.*

## CAPVT SEXTVM.

ILlud præter reliqua potissimùm in hoc opère, atque in reliquis item elucubrationibus eius est admirandum, quòd cùm neminem sibi proposuerit sectandum, neque in vllius verba iurauerit; sed in veritatis gratiam modò hunc, modò illum Doctorē, etsi nominatissimum, etsi doctrinæ & sanctitatis titulo conspicuum, pro Scholasticorum more refellens; & S. Thomæ doctrinam multis nominibus illustrem, & communi calculo commendatam, plurimis in locis impugnauerit; præsertim verò, quæ in prima parte S. Doctor edocuit, vti ad eamdem Caietanus præfatur, dicens: *b Theologi complures, neque adeò contem-*

Modestè aliorum refellit opinio.

b Caiet. in præfat. 1. partis.

*contemnendi, magnum sibi nomen ingenij, ac doctrinæ facturos hinc se esse putarunt, si veluti munitissimas arces fortissimi Duces solent, ita illi partem hanc primam suis machinationibus oppugnarent. Ioannes verò Scotus egregiâ, præter cæteros, hâc in re, laborauit subtilitate, & copiâ; quippe qui singula eius partis verba labefactare contendat.* Attamen ita modestè & religiosè fecit, vt ne verbum vllum iniuriosum exciderit, aut quod iustam offensam generare possit, minùs cautè protulerit. Adde quod maius est hominem Catholicorum virorum, & orthodoxorum Doctorum scripta conuellentem, nihil minus orthodoxum, nihil non Catholicum dixisse; itàut eius doctrina per tercentum, & plurium annorum interuallum nullo, vel minimo, suspectæ, aut minus sanæ næuo, communi Ecclesiæ, aut vllius ex tot Concilijs, quę toto hoc tempore celebrata sunt, iudicio sit affecta.

a Possevin. in apparatu.

Vtramque & candidam mentem, & sanam doctrinam, in eo sincerè laudauit Antonius Posseuinus: a *Scoti, inquit, doctrinæ graue testimonium extat, quod eius libri absque vllo erroris næuo, vsque in hanc diem trecentos circiter annos,*

*nos, in Oecumenis Concilijs inuiolati permanserint. Certè cùm illud Diui Augustini de laude charitatis verum sit: a* ille tenet quidquid latet, & quidquid patet in diuinis sermonibus, qui charitatem seruat in moribus; *haud mirum fuerit, si ingenium Doctoris subtilis modestiâ, & charitate praeditum, altissimos sensus eruere potuerit ad veritatem indagandam: Nunquam enim suam sententiam profert in aliorum iniuriam, vel depressionem; quin quorum aut errores conuellit, aut opiniones excutit, tam id modestè, & adeò plerumque suppressa nomine facit, vt Christiano pectori hasisse à Domino sapientiam (certè integram mentem) coniici possit:* Gulielmus Worilongus eundem Doctorẽ compellans ait: *b Mirum tot sublimia scribens, quod in errore non es deprehensus aliquo* Similiter adnotarunt Petrus Rodulphus, *c* & Bargius. *d* Quare non immeritò sacrę Inquisitionis Generalis Romæ Tribunal, ante Annum 1628. pręcepit doctrinarum, aut librorũ censoribus, vt quidquid Scoti esse constaret, intactum inuiolatumque permitteret. Certò qui ad eius scripta oculos conuertit, facilè videbit, quod nõ modò pietas Christiana orthodoxo Doctore digna, verũ etiã doctri-

*a* Aug. serm. de temp. ad Med.

*b* VVori long. in fine 4. sentent.

*c* Rudolph. citat.

*d* Bargius in prol. 1. sent.

doctrina, & humilitas pari gressu in eisdẽ incedunt. Disseruit ille quidem, quod magis ex veritate visum est, eâ tamen animi moderatione, vt sine cuiusquam præiudicio veritas suas ferat partes, & illi quorum sententia impugnatur, debitam reuerentiam. Nec enim suâ ita lectori inculcare studuit, velut sine omni hęsitatione sequẽda; immò ne quẽdem ab aliorum sequela absterreret, propria interdum placita, nõ secus ac aliorum æquâ discutit lance; vt vel inde non solùm animi sincerus candor, sed veritatis, non gloriæ studium in eo fuisse legentibus appareat.

## *Quæ scripserit Parisijs.*

## CAPVT SEPTIMVM.

*Quid scripserit Parisijs.*

HÆc diximus de ijs, quæ scripsit Oxonij, præsertim in Magistrum Sententiarum, inter reliquas eius elucubrationes, vt laudatissima, ita magis obuia, & vsitata. Scripsit denuò in eundem Magistrum reportata quædam Parisijs, vti omnes indigitant; attamen ea, quæ sub eius nomine circumferuntur, aliquas patiuntur exceptiones: etenim præter stylum longè diuersum à scripto Oxoniensi, discrepat etiam

*Iudicium Authoris de reportatis Parisiensibus.*

etiam ab eodem valde doctrinâ. Adde longè humilius, & inferius esse priori opere, atque proinde ingenio iam prouectiori Doctoris subtilis indignum: qui namque fieri potuit, vt iunior exactius, senior minori cum laude docuerit? Atque hâc ratione factũ est, vt neglectis Reportatis Parisiensibus omnes inhęreant Oxoniensi Commentario. Ex Scoti sectatoribus non fuit, qui Reportata hæc elucidaret, aut suis commentationibus illustrare tentaret; solus noster Hugo Cauellus laborem hunc aggressus est, vt nihil quod Scoti doctinæ capessendę, aut eius nomini magnificando conduceret, præteriret. Iam prodierunt eius Scholia in hoc opus, in Collationes. Quodlibeta, & alia Theologica opuscula. Id aliqui excogitarunt effugij, vt plurima hinc inde collegerit Scotus, & ex Scripto Oxoniensi reportauerit, tumultuariâ quadam collectione, vt absolutum opus oportuno tempore concinnaret, pręproperâ tamen morte infectũ, ex discipulis aliquem voluisse elere, ne periret, atque ex proprio penu aliqua addidisse, suppleuisse, commutasse. Profectò Matthæus Ferchius a omnino Scoti esse negat, potius alicuius ait esse Scotistæ; sed ego partim Scoti, partim esse Scotistę: con-

a Ferch. cit. c. 11.

tractiori enim volumine excripsit ille, quæ Scotus libris quatuor diffusius scripsit cõmentaria, & quę nos in editione ex Bibliothecâ Vaticanâ, aliorumque codicum M.SS. fide correcta, de quibus in Præfatione ad ipsũ opus amplius dicemus. Reliqua eius opera vbi scripta sint, non constat; omnia commodius vbi de scriptoribus Minorum seorsim egerimus, referemus & de singulis nostrum proferemus iudicium.

Quando verò Reportata vel scripserit, vel collegerit Parisijs, aut quo certo anno venerit Lutetiam, est incompertum. Sub Annum 1304. illic habitasse constat ex litteris Ministri Generalis Fr. Gondisalui, quibus concedit facultatem, vt ad Baccalaureatum Scotus possit promoueri. Harum exemplar ex Petro Rodulpho, a qui eas ex ipso transcripsit authographo, hîc subiungo.

a Rodolph. fol. 115.

*In Christo sibi Charissimis Patribus Gulielmo Guardiano Parisijs, vel eius Vicario, & Magistris, Fr. Gondisaluus gaudium in Domino.*

Præsentatur ad Baccalaureatum.

*Ad expeditionem dilecti in Christo Patris Ægidij de Legnaco, de quo per litteras vestras certificatus existo, cum de alio (vt moris est) eodem calculo præsentando prouidere oporteat, &*

*& cùm secundùm statuta Ordinis, & secundùm vestri statuta Conuentus, Baccalaureus huiusmodi præsentandus ad præsens debeat esse de aliquâ Prouinciâ, aliarum à Prouinciâ Tràciæ, dilectum in Christo Patrem* Ioannem Scotum, *de cuius vitâ laudabili scientiâ excellenti, ingenioque subtilissimo, alijsque insignibus conditionibus suis, partim experientiâ longâ, partim famâ, quæ vbique diuulgata est, informatus sum ad plenum, Dilectioni vestræ assigno post dictum Patrem Ægidium principaliter, & ordinariè præsentandum; iniungo nihilominus vobis ad meritum salutaris Obedientiæ, quatenus præsentationem huiusmodi cum solemnitate solitâ, sine multo dispendio facere debeatis: si tamen constiterit vobis, quòd Dominus Cancellarius velit duos simul licentiare de nostris, volo, & placet mihi quòd Frater Albertus Metensis, si ad Conuentum redire poterit, cum præfato Fr. Ioanne debeat expediri. In quo casu mando & ordino, quòd dictus Fr. Albertus antiquitatis merito incipere debeat, dicto Fr. Ioanne sub eo postmodum incepturo. Valete in Domino, & orate pro me. Datum in loco Esculi Prouinciæ Marchiæ Anconitanæ XIV Kal. Decembris Anno 1304.*

Magnum sanè illud encomium supremi Religionis Rectoris de peculiari viro, eòque adolescēte, *Dilectum in Christo Patrem* Ioannem- *Grane optimi viri de scoto testimonium.*

Ioannem Scotum, *de cuius vita laudabili, scientia excellenti, ingenio subtilißimo, alijsque cõditionibus suis partim experietia longa, partim fama, quæ vbiq; diuulgata est, informatus sum ad plenum, dilectioni vestræ aßigno, &c.* Quantus verò, qualisque fuerit hic Gondisaluus, Generalis minister, apud quem adeò egregiè Scotus audiebat, docet luculenter hoc suo testimonio Aluarus Pelagius coæuus *a. Sanctæ memoriæ Gondisaluus Hispanus, de prouinciâ Galiciæ, nobilis genere, sed nobilior vitâ, & moribus, & Euangelicâ paupertate, verè Frater Minor, & zelator ardentißimus regulæ, & Dominicæ paupertatis, & Dominicæ humilitatis. Magister in Theologiâ realißimus, verbo & opere, de maioribus mundi litteratis in triuio & quadriuio, qui parum post mortem suam Parisijs in visione quibusdam Fratribus nostris apparuit gloriosus, in throno residens cum coronâ aureâ & sceptro; qui dixit tunc, quod sedes throni sibi aßignata erat in cælo, quia purißimè in Ordine iustitiam obseruauerit.*

a l. 2. de planct. Eccl. c. 68.

*Lutetia*

## *Lutetiæ lauream ſuſcipit Doctoris, & pro immaculatâ Virginis Conceptione decertat.*



### CAPVT OCTAVVM.

PArisijs itaque Baccalaurei primum, mox Doctoris insignibus laureatus, deinde à suis in Comitijs Tholosanis, anno 1307. Regens creatus, *b primum locum* (inquit Posseuinus) *c in Schola Parisiensi assecutus, Academiam illam multum illustrauit, Theologiâ Scholasticâ multis subtilitatibus auctâ.* Hic plurimum publicum iniuit certamen pro Immaculata Virginis Mariæ Conceptione, qui eandem etiam Oxonij secutus fuerat sententiam, & libro tertio, breui, sed solido, commendauit discursu. Nam cum publica & solemnis de hac re, disputatio, *d* ad sedandos iam exortos tumultus inter Minores, & Prædicatores, Apostolico præcepto, Apostolicis etiam præsentibus institueretur legatis (neque enim Scotus primus omnium hanc defensauit sententiam, licet primus pro eâ defendendâ grauiora strauerit fundamenta) missus est, libensque venit Oxonio Pari-

*b* Pist. cit.
*c* Poss. cit.
*Defendit immaculatam Virg. Cõcep.*
*d* Vernul. in paneg. Bust. in offic. Cõcept. à Sixto IV. approbato.

sios pro defendenda Virginis puritate, cui suam omnem, vti diximus, acceptam ferebat doctrinam. *Aduersæ partis tutoribus* (inquit Pelbartus Temesuarius *a*) *se opposuit ingeniosissimus doctor, magnum fuit pondus argumentorum, quibus impetebatur, tantque numero* 200. *omnia sine interruptione, quieto & tranquillo animo attentè audiuit, & mirabili memoriâ suo ordine resumpsit, soluendo intricatas eorumdem difficultates, & nodosos syllogismos eâ facilitate, quâ Samsom Dalilæ ligamina in fauorem Philistinorum posita dirumpebat. Addidit* Scotus *multas, & fortissimas rationes, probans Virginem Sanctissimam sine originalis peccati maculâ conceptam. Actus obstupefecit sapientissimam illam vniuersitatem Parisiensem, quæ in gratificationem* Scotum *celeberrimo nominè* Doctoris Subtilis *insigniuit.* Hoc itaque actu, & ijs quæ scripsit ad tertium, allexit vniuersitatem Parisiensem ad illud efformandum decretum, quo cauit, ne ad vllos gradus scholasticos admitteretur, qui priùs non iuraret, se defensurum Beatam Virginem à noxâ originariâ.

*a* Pelbart. l. 4. stell. p. 1. art. 3.

*Et amplexa fit vniuersitas Parisiensis hanc opinionem.*

Decreto addidit *b* votum de celebrandâ quotannis festiuitate immaculatæ

*b* Cucat in eluci. vi. g. part. 2.

Conceptionis, Reuerendissimo Domino vrbis Antistite Missę Sacrificium offerēte, & vno ex Magistris concionem habente. Quæ festiuitas dum in diem dominicam cadit, in Conuentu Prædicatorum, alijs temporibus in Conuentu Fratrum Minorum habetur. Scripsi aliàs *a* largiùs de huius voti nuncupatione, eamque Scoto debitam ostendi. Ipsa sanè pia, & communis opinio illi fert acceptam stabilitatem sui principij, & per solida, quę iecit, fundamenta, suum incrementum. Licet enim plurimi, maximè ex Franciscanis, in hac re adlaborauerint, & suppetias tulerint alij, nonnisi Scoti iactis fundamentis sua superstruxerunt, & ab aduersariorum momo[illegible] non immeritò [illegible] vir doctus ita contestatus sit *b* *Subtilissimus doctor, quemadmodum omnibus Theologis immaculatæ Conceptionis propugnandæ author extitit, ita etiam nihil prætermisit, quod in hac re ad maiorem Virginis gloriam facere posset.* Deinde: Ioannes Duns Scotus *præcipuus, ac maximus puræ Conceptionis vindex, qui tantum huic doctrinæ suâ authoritate fidem comparauit, quantam nullus alius ante, vel post ipsum.*

*a* lib. de Cō. cep. virg. sect. 3. tract. 13. §. 1. nu 3.

*b* Salazar lib. de Concep. c. 13. & 42.

Qui

Qui de publico hoc eius congressu scribunt; a illud singulare & mirandum commemorant, quod dum ad disputationis locum procederet, coram obuia B. Virginis statua marmoreâ breuiter orauerit, eiusque opem expostulârit; Simulacrum verò inclinato capite, significarit supernum ei non defuturum auxilium. Communis ita fert populi Parisiensis traditio, ipsaque imago rem confirmat patenti, & vsque in hanc diem perseueranti, capitis inclinatione. Profectò nonnisi superno auxilio ità potuit inualescere eius sententia, resistentibus, eamque impugnantibus ex aduerso per tria integra sęcula doctissimis viris, quotquot ex Angelici Doctoris Scholâ prodierunt, si paucos excipias. Nihil profectò Scoti nomen reddidit illustrius, quam suscepta hæc, pro Virginis indemnitate, tutela: nam & ex hac disputatione *Doctoris subtilis* nomen accepit, & perennem gloriam acquisiuit. Quanquam enim in Theologicam facultatem plurimas inuexerit nouas, & antiquas innouauerit sententias, ex hac vnâ de Mariæ immaculato conceptu, tamquam proprio stemmate gloriosius enitescit, & penè omnibus posterorum votis collaudatur. Pio studio, & laudabili conatu, ille Mariæ Virginis consuluit

a Pineda in priuil. Reg Ioan. Ruitz in vitâ Scoti Moren. de purit. Virg c. 4 Lezanà in Apolog. c. 15. & alij plurimi.

*Ex doctrinâ hâc magnū nomen acquisiuit.*

ſuluit honori, ſed & ab impenſo ſtudio, & præſtito obſequio magnum ille viciſſim honorem reportauit. Magna quidem illa gloria, quam quidam indicant, & clarius innuere videtur Epigramma, ad eius ſepulchrum appenſum, vt pro victoriâ ex illâ diſputatione reportatâ, non ſolùm ex Auditorum applauſu, verum & ex authoritate, ſeu nomenclaturâ Pontificiâ, ei tribueretur honorificus titulus, *Doctoris ſubtilis*, ita Carmen vetuſtum, ſed impolitum.

*Concepta eſt Virgo primi ſine labe Parentis,*
*Hic tulit, &c.*
*Inde genus meriti tãtum ſibi Papa refundens,*
Doctor ſubtilis, *dicitur, inde dedit.*

Papa hic probabiliter erat Clemens V. nã ſub Pontificatu Benedicti XI. aliquot mẽſes adhuc cõmoratũ Scotũ Oxonij duximus. *a* probabilius ex bullâ benedictinâ, ab eo citatâ in Scripto Oxonienſi. Ab hoc tamen Benedicto indictã publicã diſputationem, ad quam Scotus perrexit; deinde relatam Clementi V. in Gallijs anno ſequenti creato, cui dum hominis acumen, & dexteritas in refellendis aduerſariorum obiectis, narrarentur, *ſubtilis Doctoris* agnomine cohoneſtaſſe non eſt omnino improbabile, niſi & probalius, & veroſimilius videatur Epigrammatarium per

*a Supra c.* [illegible]

*Papę*

*Papa* nomen intellexisse Episcopum Parisiensem; ita enim prisca ferebat ætas; vt etiam Episcopi *Papæ, vel Patres Patrum*, quod illa vox sonat, appellarentur, exempla habes plurima in Augustini, Hieronymi, & aliorum epistolis ad episcopos conscriptis.

## *Coloniam mittitur, & qua de causa?*

## CAPVT NONVM.

HOnorifico donatus nomine, magno auditorum concursu legit Parisijs; donec anno 1308. superuenêre Ministri Generalis Gondisalui obediētiales litteræ; vt Coloniā Agrippinam se tranferret. Acceptis litteris extrà Lutetiam, in prato Clericorum, quò eo die cum discipulis, remittendi animi gratia, secessit, cęca & prompta *b* obedientia vale dicto ijs, qui aderant, rectà Coloniam iter assumere cępit, antequam domum libros, aut scripta collecturus, seu Fratres salutaturus rediret. Admirati discipuli, interrogârunt cur non abiret in Conuentum, Fratribus valedicturus? at ille dignam Ioanne protulit sententiam: *Pater Generalis Coloniam ire iubet, non in Con-*

*b* Veri long. in s. d. vlt.

*Prompta obedientia.*

*Con. ei.*

*Conuentum ad salutandos Fratres redire.* Grauis sanè, & ponderosa debuit subesse causa, vt tantus homo ex Academia omnium prima, destinaretur ad Vbios, apud quos vniuersitas non erat, neque ipsa Ciuitas, quantumuis inferioris Germaniæ Metropolis amplissima, pulcherrima, atque potentissima, præferenda Lutetiæ. Varias varij referunt: quidam volunt proinde missum, vt Academiam cæterarum instar fundaret, & certè absque scrupulo asserit Petrus Rodulphus, a quod *vniuersitatem Coloniæ instituit, & primus fundamenta iecit.* Atqui improbatum putant alij, ex eo quod testibus Iacobo Middendorpio b & Ioanne Pitsęo c Academia hęc, sub Vrbano VI. legatis ex mendicantium Ordinibus ab Agrippinatum senatu destinatis ad annum 1388. fundata sit. Possunt tamen hæc ita inter se cohærere, vt & Scotus cum alijs doctoribus inceperit, & sub Vrbano alij perfecerint, prima fundamenta bonarum artium & honestæ disciplinę iecerint Albertus magnus, Thomas Aquinas, & Scotus; alij super extruxerint cætera, quæ ad vniuersitatis ornatum & complementum potuerint defuisse, neque enim repente vnico impetu stabiliri potest

*Quare missus Coloniam.*

*Vt vniuersitatem fundaret.*

a Rodulph. fol. 325.

b Middend. de Academ. Coloni.

c Pits. de scrip. Angl. an. 1308.

litteraria hęc respublica, quę tot sumptus, redditus, magistros, ministros, aulas disciplinæ, & id genus alia plura requirit. Atque ità insinuate videtur Pitseus; non enim absolutè tunc inceptam sub Vrbano dicit, se d publicis iam fundatis lectionibus, debitis assignatis stipendijs, Academiam erectam, stabilitam, & priuilegijs munitam, ad vniuersitatis Parisiensis similitudinem. Concordat Petrus Cratepolius *a* his verbis. *Tempore Frederici III Archiepiscopi Colon. Anno Dom.* 1388. *sub Vrbano sexto, procurante amplissimo senatu initium habuit. Primam lectionem præsente senatu, ac clero, in domo Capitulari Maioris Ecclesiæ fecit Dominus Gerardus Calcariensis, ac Theologus quidam Parisiensis, hîc quoque olim huius vniuersitatis fundamenta iecêre, D. Albertus Magnus, D. Thomas Aquinas, Ioannes Scotus doctissimi viri*, sub his, & sub Scoto fortassis incepta, tunc fuit omnibus pręmissis requisitis Pontificiâ authoritate stabilita.

*a* Cratep. de Archiepisc. Colon. n. 65.

Aliam alij causam assignant, vt scilicet priuatam inter Fratres sui sodalitij Academiam institueret. At probabile non est tantum virum, publicum professorem in vniuersitate Parisiensi, illinc amouendum, vt priuatæ inter domesticos dumtaxat scholæ principia pręstrueręt. Immò & institu-

*An vt Scholas inter suos institueret?*

stitu-

ſtitutum iam ſtudium apud Minores Colonienſes probat tabula, ſeu index Fratrū ibidem ſepultorum, qualis communiter in Monaſterijs Ordinis habetur, in quo cum cæteris Religioſis ibidem connumeratis, hi recenſentur illius ędis Lectores: *Fr. Andreas quondam Lector Coloniæ. Fr. Albertus de Mediolano, quondam lector Coloniæ. Fr. Hymitus Vol, quondam lector Coloniæ. Fr. Gerardus quondam lector Coloniæ. Reuer. P. Fr. VVillelmus lector Coloniæ, qui obijt anno Domini* 1305. Deinde in eâdem tabulâ poſt trigeſimum quintum ſequitur *Reuer. P. Fr* Ioannes Scotus, *ſacræ Theologiæ profeſſor*, Doctor ſubtilis *nominatus, quondam lector Coloniæ, qui obijt anno* 1308. *VI. Idus Nouembris.* Scribit verò Matthæus Ferchius *a* Petrum Paulum de Nouaria, Iuſubrię virum teſtari ſe in manu ſcriptis, quibuſdā vetuſtis codicibus causā, quā ſubijcio, legiſſe: *In conuentu Pariſienſi Franciſcano legebant Regens primus Reginaldus* Prouincia*lis, ſeu titulo, ſeu re, ſuper Prouinciâ Prouinciæ:Regens ſecundus* Ioannes Duns. *Cùm iunior, ſchola præclariſſimis ac frequentiſſimis, qui eius doctrinam exoſcularentur, viris referta, in Sorbona, Cathedram conſcendiſſet (in qua Reportata pro illorum temporum conſuetudine dicitur compoſuiſſe) ſenior notans*

*a* Ferch. c. 7.

*An aliorum inuidia?*

*notam non tulit, sed praclaram nactus occa-sionem, quòd scabini Colonienses talem Colonia in Germaniâ qualis Lutetia in Galliâ erat, Academiam erigere optarent, à P. Generali* Ioannem Scotum *tanto operi pra-ficiendum curauit. Receptas pro voto litte-ras Prouincialis, mora impatiens,* ad Scotum *qui tum remittendi animi gratia extra Parisios cum discipulis alijsq; honestißimis viris esset, transmisit.* Doctor subtilis *litteras cum omni reuerentiâ excepit, & nec Lutetiam quidem ingressus, Coloniam rectà perrexit.* Sed & hęc causa incidit cum primâ, variatque solùm in modo narrandi, & omniũ vota potuerunt concurrere, vt Coloniã Scotus mitteretur; ciuiũ Agrippinatum ad suę vrbis splendorem, consortis Reginaldi ad ęmulationem.

a Ferch. ibidem.

A. vt obsisteret hareticis.

b Vide Annal. Min. a. 1318. n. 38.

Grauior illa causa, quam Ferchius a præscribit [ *emerserat*, inquit, *ante aliquot annos secta Begardorum, & illorum qui se de ordine Apostolorum, superbe nimis nuncupabant, toties à Pontificibus condemnati; b qui etiam fricta fronte à Fidei Catholica lineâ exilientes, aduersus fidei Catholica satores insurgebant, præsertim aduersus Fratres Prædicatores, & Minores, eousque, vt ijs conciones habentibus Haretici publicè obsisterent, ac petulanti disputatione congredi auderent*

auderent. Erant Coloniæ plures ex Dominicanâ familiâ alumni Alberti Magni An. 1206. inde in cœlum assumpti. Minoritæ, lectore eorum defuncto An. 1305. hac de re Generalem Gondisaluum, vel ipsum, vel etiam cum Archiepiscopo Coloniensi fecere certiorẽ; Generalis pro zelo Christianæ fidei, & religionis Franciscanæ feruentissimus illuc Ioannem Scotum nunquam disputando victum, ad truces hæreticos reuincendos, ac radicitus euellendos direxit. Nam etsi Begardi atque Beguinæ in Italiâ, Prouinciâ, alijsq; in locis ebullierint, audaces nimis, & effrontes erãt in Germaniâ, eoq; prorũpebant insolentiæ, vt publicis in concionibus in medio plenissimorũ consessuum insurgerent in Prædicatores, & Minores, illorum hæreses é rostris condemnantes. Patulum extat huius temeritatis testimonium in codice statutorum Coloniensium, vbi ad Annum 1036. refertur decretum Henrici II. de Virnemburch, Archiepiscopi Coloniensis. contra hos errores, Sub his verbis, feriâ secunda post Dominicam Inuocauit compactum: & quod amaricante mente referimus, eorum aliqui laici, ac litteras nescientes, prædicatoribus & minoribus, in sermonibus eorum, & prædicationibus publicis, (quibꝰ in agro Theologicæ sapientia continuè laborantibus, prædicationis verbum

*verbum per sacrosanctam ecclesiam est commissum, & ministeriorum Dei, & fidei secreta lucescunt) non sine vehementi suspicione prauitatis hæreticæ publicè restiterunt, in fidelium iniuriam, & Sanctæ Ecclesiæ; errorem, & cæcitatis caliginem, in veritatis lucem spargentes, temerè insultârunt.*]

*An vt Virg. Concept. à macula defenderet?*

Alij tandem missum Scotum volunt Coloniam, vt Alberti magni discipulis pugnam redintegrantibus, & controuersiam de Conceptione Virginis renouantibus obsisteret; eaque dexteritate ac doctrinæ subtilitate, apud Agrippinates, quâ apud Parisienses, Virginis immunitatem à peccato originali assereret.

*An vero propter istas causas?*

Quatuor istæ causæ à varijs relatæ, poterant eodem tempore concurrere, atque propter omnes Scotum transmitti Coloniam. Fortassis tunc exorta cogitatio Academiam publicam instituendi; tunc minores lectore carebant: Hæretici suum virus insolentiùs spargebant, atque Alberti discipuli Virginis à noxâ originali indemnitatem maiori oppugnabant conatu: omnia hæc efficaciùs mouere poterant Primicerij animum, vt Doctorem, quantumuis valdè apud Parisienses doctrinâ, & authoritate pollentem, ad Vbiorum votum Coloniam destinaret. Argumento est eum

à Pri-

à primoribus vrbis expetitum, quod aduenienti Proceres, cum Clero, & populo obuiam processerint, & quasi solemni pompâ, vsque ad conuentum suorum deduxerint. Non aliter quam olim venienti Platoni, a Syracusanorum Rex, quadrijugis albis, & vittatâ nauí; ita nobilissima Ciuitas hęc Scotó aduentanti magna populi frequentia; crebro Magnatum apparatu, occurrit, vt eum tanquam solem aliquem sibi exorientem susciperet, & amplexaretur. Iacobus Middendorpius b Coloniensis scribit, eum in cænobio Minorum frequenti schola legisse, & disputasse sępius cùm immaculatæ Conceptionis impugnatoribus, sed & Hęreticos prędictos acriter insectatum fuisse, innuit tabula epitaphij ad sepulchrum appensa, in qua hoc distichon prę reliquis habetur.

a Marsil. Ficin. in vita Platonis.

b Middendorp. citat.

*Concepta est Virgo primi sine labe parentis,*
*Hic tulit, hic hæresi prælia dura dedit.*

Neque enim rectè exscripsit Rodulphus, c aut si qui alij, qui ita legunt.

*Hoc tulit, hoc dicto prælia dura dedit.*

c Rodol. Vorilon. Willot. citati Berti. in vita Scoti.

Priori quippe modo habetur præ tumulo appensum, neque ad seruandam, metri rationẽ mutanda est narratio Epigrãmatarij; aut veritas facti. Dedit itaque Scotus hæresi horum nebulonum dura prælia,

D sermo-

ſermone, ſcriptis, & frequenti congreſſu, eorum errores profligans, atq; ipſos nullo loco conſiſtere permittens.

## SCOTI *mors, ſed qualis?*
## CAPVT DECIMVM.

PLurimis demũ ſacrarũ actionũ, cõcionum, diſputationũ, & ſcriptionũ ad fidem illuſtrandam, mores corigendos, religionẽ amplificandam, poſteros inſtruendos, meritis & virtutibus plenus: *Conſummatus in breui expleuit tempora multa.* donec ei pro tẽporarijs laboribus, Deus ęternã requiem offerre, ac è terris raptum; in cœlum, vt piè credimus, euehere dignatus eſt. Itaque anno 1308. VI. Idus Nouẽbris ipsâ omnium ſanctorum octauâ die, ad ſanctorũ omniũ communionẽ euocatus eſt. Ità conſpirant omnes in hunc annũ; & diem, vltra tabulas ſepulchro appenſas; vt mirũ ſit quomodò Abrahamus Bzouius: *a nimis feſtinato funere eum ſepulchro adhuc viuentem illatum, in eoque miſerè nimis ſuffocatum Anno* 1294 ſcriptitârit. Mirum etiam quam variè, & inconſtanter de eius morte, ſcribant Authores, non aliter quam de Pythagora, & Empedocle, *b* grauiſſimis Philoſophis, ſcripſerunt, alij, quorum mors vna multipliciter refertur. Id autem com-

*Scotus piè moritur.*

*a* Bzouius 1294. n. 1.

*Bzouius corrigitur.*

*b* Laërt. de litteris Philoſophor.

communiter circa homines præstãtissimos fit, quia horum fama, vt maior, ita multoties incertior: & quorum non intereſt gloriæ eorum, aliorum rumores facilè excipiunt, non veram facti rationem conquirunt. Scotum præproperâ morte raptum recentiores ſcribunt Authores, & apoplexiâ correptum: ſed id à Iacobo Philippo Bergomenſi exordium cœpit, & ab eius ętate vires acquiſiuit eundo. Etenim ante authorem iſtum, nullum inuenio, qui apoplexię huiuſmodi meminerit. Coæui Hartmannus Schedel Nuremburgenſis, & Sabellicus primi ex eo errorem hauſerunt, à quo magnam partem ſuæ hiſtoriæ mutuati ſunt. De Sabellico ita largiùs aliàs probaui; *a* de Nuremburgenſi, Trithemij ſubijcio teſtimonium. *Hartmannus Schedel Nurenbergenſis, &c. Scripſit inter alia ingenij ſui opuſcula ex Iacobo Bergomenſi, & alijs Hiſtoriographis, addens nonnulla, maximè de rebus Germanorum, opus grande, & inſigne, quod continet hiſtorias temporum. Viuit vſque hodie apud Nurembergam, ſub Maximiliano Rege. Anno Dom.* 1494. Alij poſt hos narrationem, veluti per manus traditam amplexati, errorem fouerunt.

*Aliqui dicunt apoplexiâ obijſſe.*

*Refellitur.*

*a* In apolog. de monach. S. Franc. §. 6. n. 9.

Attamen Trithemius, *b* quantumuis apud hos, eorumque ducem Bergomenſem

*b* Trithem. de Scriptor.

a Trithem. de Scrip.

illud mortis genus legerit, tanquam commentitium neglexit: nouit enim tanquam scriptor domesticus, & loco vicinior, leuiter nimis adinuentam hanc apoplexiam, quã ante hũc nouũ assertor nullus retulerit, neque aliquod Germaniæ, maximè Coloniæ, vbi Scotus iacebat, monumentum indicârit. Absque vllo itaque discrimine à communi obitu aliorum, ita scribit; Ioannes Duns &c. *moritur temporibus Alberti imperatoris, Anno* 1308. *VI. idus Nouembris Coloniæ apud Minores sepultus.* Idem etiam in Chronico Hirsaugiensi: *anno, inquit, prænotato*, scilicet 1308. VI. idus Nouemb. *obijt in Colonia Ioannes* Scotus, *Doctor subtilis, Ordinis Minorum, ibidem in suo Conuentu ad introitum sacristiæ sepultus, qui quanta scripserit, quam subtilia & profunda in Theologia receptiua, & omnes Theologi nouerunt, & nos in libro nostro de Scriptoribus Ecclesiasticis annotauimus.* Omisisset scilicet Trithemius, si quippiam rei nouitate circa Scoti mortem, notandum occurrisset, qui tam distinctè annum, mensẽ, diẽ, sepulturam, & sepulturæ locum adscripsit? ad eũdem modum etiam Chronicon Coloniense, eodẽ æuo, scilicet 1499. impressũ, mortẽ Scoti refert, & aliud eius sepulchrũ, quo trãslatus est ad Chorũ.

Improbabilius valdè, quod alij comminis-

entur nimirum festinato nimis funere pro mortuo tumulatũ. Figmẽtum hoc abundè refellit solemnis, & religiosus ritus Conuentus Coloniẽsis, ab ipsis initijs institutus & retentus, quem & cõmuniter vniuersũm obseruat sodalitiũ, Fratrẽ defunctum non nisi sequenti die sub missâ solemni tradere sepulturę, quod diuturno tẽporis interuallo sopiti sensus soporem omnem excutiant. His adde varia medicamina, diuersa item experimenta, quę in huiusmodi morbis solent adhiberi, non defuisse viro quem externi suscipiebãt, domestici venerabantur discipuli diligebant, & omnes in vniuersũ cupiebant incolumẽ. Quis credat magistrũ gratissimũ, omnium votis expetitũ, omniũ iubilo ante paucos mẽses exceptũ, ita festinàter & feràliter ad sepulchrũ rapi potuisse, vt nullus ex plurimis, quos plenâ edocebat scholâ, discipulis istud scire, adeoque breue tẽpus elapsũ sit, inter sensuũ soporẽ & festinatũ funus, vt nullus ex discipulis, quos absentes fingũt, superuenire potuerit? Deinde mense Nouembri quo mortuus est Scotus, maximè vacatur studijs, neque credendum est ita feriatos foris discipulos, vt nullus adfuerit, qui referret huiusmodi sẽsuum soporẽ Magistro suo fuisse familiarẽ, vt ipsius fabellę asserunt Authores, si verò

*Alij dicunt viuum sepultum: sed errant.*

 inso-

insolitus fuit,&primâ hac vice cũ est passus, quomodò astruere poterant superuenientes discipuli, eum viuum,& in ecstasi constitutum, tumulatum, & non potius mortem obijsse? Demùm adeò sui immemores credemus eos, qui adfuerunt & sepelierunt, vt immanis homicidij periculum, quod sub oculos erat, contempserint,neq; in Deum, in nominatissimum communis instituti consodalem, peccare timuerint?

*An violenter perierit in sepulchro?*

Quod verò ex Paulo Iouio adiunxit Bzouius, *redeunte*, scilicet, *vita, serò morbi impetum naturam discussisse, frustrà eundem ad petendam opem, miserabili mugitu edito, pulsatoque diu lapide, eliso tandem capite perijsse*: admirationem incutit, quod vir religiosus, Fraternæ charitatis vinculo, saltem debito, coniunctus, adeò facili calamo transcripserit in celebrem Doctorem summam iniuriam, eamque non mediocri auxerit incremento, asseuerans teterrimo mortis genere, *manifesti, aut certè occulti criminis pœnas persoluisse*. Tantæ fidei, tantæ authoritatis, aut opinionis Iouius, vt Bzouio Ecclesiastico Annalistæ vnus sufficiat pro scribendâ re graui, amplissimo Minorum instituto exosâ, classico Doctori, viro Christiano, numerosissimæ Scholæ Antesignano iniuriosâ? *Iudicio*

*Paulli Iouij fides.*

*fide ambiguum* dicit Lipsius,[a] *& vbi affectus adsunt, obnoxium ad gratiam se dare, & auram*. Robertus [b] Turnerius *malè sanum, ait, scriptorem, qui laudat, vituperat, non ad normam veritatis, sed pro ratione præmij*: vt non immeritò elogij loco, ei Symbolum Aubertus Myræus [c] apposuerit: *v. nalis cui penna fuit*. Alij acerbius eius vacillantem fidem infringunt, Paganismum potius, quam Christianismum redolere, ex gentilium more loquendi probant, cui potius verborum lenocinium, quam historiæ veritas applaudebat, cui mentiri, fingere, fallere, religio fuit, modò sub affectatâ verborum illecebrâ Lectorem circumuenire, inescare, & capere posset, ipsam veritatem certis & importunis figmētis nouâ, & peregrinâ impressione inficere: ea demùm scribere, quæ animus, non veritas dictabat. Ante hunc, quem mihi dabit authorem Bzouius, qui miseram hanc referat tragædiam, aut Scotum dicat suiipsius homicidam? Bina integra secula elapsa sunt ab obitu Scoti, antequā fabulosum hoc mortis genus adinuenerit Iouius, pro quo nullum citat authorem, traditionem nullam præscribit, neque ipsum vulgi profert rumorē. Adfuit scilicet funeri Scoti solus Iouius, qui ea referat, quę nullus vidit,

a Lipſ. lib. 1 Polit c. 9.
b Turnerius apud heruart in mantiſſa pag. 36.
c Myræus in Chron.

nullus audiuit, ducentis annis nullus exſcripſit? hic tantus hiſtoricus ſolus, & vnus, quem grauis iniurię authorem pręferat Bzouius? ex quo calumniam vniuerſam in ſuos corriuet Annales?

Dicet tamen ſe planè retuliſſe, & excripſiſſe Iouiana verba, ſed iudicium reliquiſſe penes Authorem, neque fidem extorſiſſe propriâ ſuadelâ. Quid tamen ſibi volunt illa narrationis exordia ex propriâ penu deſumpta? *Hoc anno volens, nolens, ex humanis abijt.* Ioannes Dunſius, &c. Quid item ſecundæ editionis auctarium, quo plurimum aggregauit iniuriam? Monitus erroris primæ impreſſionis, Minorum querelas eo temperamento leniuit, vt ad narrationem Iouianam de feſtinato funere miſerabili intra ſepulchrum mugitu, & eliſo capite, addiderit etiam *nonnulla nerreſſe.* Authorem citans Genebrardum. Sed poſtquam ſincerè, & condidè Genebrardus ex Trithemio retulit nihil aliud quàm Scotum obijſſe Coloniæ: adiunxit de feſtinato funere, rumorem incertum quorũdam ſub dubio verbo, *ferunt*, quod tamen Bzouius omiſit, certum volens apud Lectorem; quod dubium, & fabuloſum erat apud Genebrardum.

Adde dictum, *aperto ſepulchro in gradi-* bus

*bus Mausolei deuoratis manibus reuertū fuisse.*
Sed omnia hęc figmenta, vnus ille mos sepeliendi Fratres apud Colonienses, facilè refellit, nullus enim aut fuit vnquam vsus sepulchorū concameratorū in eâ Ecclesiâ Franciscanorū Coloniæ; Fratres namq; effossâ, & iniectâ humo, terrę cōmendātur: sic autem neque spirare, neque mugire, nec pulsare, neq; gradus ascendere possunt sepulti. Adiunge ritum cōmunem, & perpetuum ordinis alligatis manibus & pedibus defunctos sepeliendi. In illâ vero Prouinciâ Coloniensi vltra hoc substernitur eis asser, seu tabula, cui cadauer alligatur, & sic strati sepulchro inserūtur. Demus ergo hominē sanū, robustum, asseri nexis manibus simul & pedibus alligatū, & extra sepulchri angustias in plano locatum, nec assurgere, necquod desuper est pulsare capite poterit, neq; ligatas man9 deuorare. Quomodò ergo in sepulchro (dem9 cōcameratū fuisse) infirmus, & cum infirmitate multis horis luctatus, id pręstare (eaque vehemētiâ potuit, vt caput eliserit? Deinde si ad gradus ascēderit, ibi pulsauerit, miserabili mugitu opē inclamauerit, idq; in Ecclesiâ, ad introitū sacristię, vbi cōmunis erat transitus Fratrū; adeò impij & crudeles erāt in virū, optimè de illis meritū, vt nec sepulchū aperire,

rire,nec lapidē amouere voluerint? demū, si *festinato funere raptus est*, quod superesse potuit tanto Mausoleo condendo tempus? Quod si antea conditum dicas, cui quæso? Fratribus an alicui Heroi? non illis, quibus humile aperitur sepulchrum,non vero graduale, aut magnificum extruitur Mausoleum. Si Heroi, quà authoritate, vel præsumptione , alieno tumulo Fratres suum consodalem inferrent?

Postremò vellem in hoc casu considerarct P. Bzouius, quà facilitate, quâ leuitate absque vllo fundamento secundum varias affectiones huiusmodi sparguntur calumniæ, & diffunduntur iniuriæ : quarum ipse patulum & manifestum palpauit, & exscripsit exemplum. Hęc etenim ipsa, quæ Scoto imponuntur, nimirum *extrema manuum deuorasse, & caput ad parietem elisisse* etiam de Bonifacio VIII. a Summo Pontifice scripserunt, varij Authores, Paulo Iouio & rumore incerto apud Genebrardum longè potiores, & tamen inuenta sunt corpus eius, caput, & manus illæsa, Anno 1606. quo diruto sepulchro, inuentum est cadauer integrum in Sarcophago reconditum, Pontificalibus vestitum: ita vt ad hoc manifestum spectaculum non immeritò ita scripserit Bzouius: b *Falsum*

a Vide Ciacon. in vita Bonifa. Pineda in Monarch. l. 22. c. 12 §. 1. Ioan. villan. l. 8. c. 63.

b Bzouius an. 1303. n. 7.

*Falsum est quod in Regis Philippi, atque Columnensium gratiam aliqui impostores olim dixere, quasi Bonifacius in tam violentum morbum inciderit, vt sibi ipse manuum extrema eroserit, ac furenti similis capite parieti eliso, decesserit. Nam me in vrbe, &c. Bonifacij sepulchro aperto totâ vrbe ad spectaculum concurrente, repertum est eius corpus Pontificalibus vestibus indutum, adeò integrum incorruptumque, vt non nisi extremum nasi desideraretur. Porrò manus, quas aduersarij erosas mentiuntur, tam viuidæ, tam integræ, omnibusque digitis integris constantes, vt etiam venæ, & nerui pelle, & carnibus operti, extuberantesque visæ fuerint. In earum vnius digito erat annulus Pontificius Sapphiro diues quem Cardinalis Caietanus pretio 100. aureorum dato redemit.* Si ergo ei exemplo manifesto, & publicâ experientiâ compertum fuit, in huiusmodi calumnijs prȩualuisse animi passiones, vt quidam in gratiam Philippi Pulchri Gallorum Regis, aut Columnensium, Bonifacij inimicorum, eas indignè effinxerint; cur easdem in nominatissimi viri, & celeberrimi Doctoris iniuriam effictas, non potius refellerit, quam retulerit, aut tanquam dubias potius silentio inuoluerit, quàm suo probauerit iudicio?

*Bonifacij 8. corpus integrum est repertum.*

Atque

Colonienſem, [a] cuius electioni ex Angelicâ monitione ſummus Pontifex cōſenſit, & conſecrationi interfuerunt SS. Petrus, & Ambroſius oleum effundentes in ec[s]taſim raptum, hærentemque diutiùs immobilem à Walramo Diacono Epiſcopatum ambiente, viuum tumulatum eſſe. Ductus tamen tanti ſceleris pœnitudine Walramus poſt obtentam Epiſcopalem ſedem, Romam venit, & à Pontifice eâ ratione abſolutus eſt, vt aut nouum inſtitueret Monaſterium, aut vetus aliquod in ſua Diœceſi inſtauraret. Cœnobium itaque D. Martini Coloniæ reparauit, & bonis multis pro religioſis ex Scotiâ aduentantibus dotauit. Non immerito Mattheus [b] Ferchius hinc prodijſſe putat errorem; dum enim Monaſterium Scotorum audiunt populares, ob hominem viuum ſepultum, fuiſſe conſtructum facile ſuſpicari, aut dici poſſet, & vulgari ſpargi rumore, propterea illi peregrinæ nationi datum graue Coloniæ domicilium, ob aliquem ſuę gentis ita indignè occiſum, & crudeliter ſepulchro viuum iniectum. Sic itaque Scotum viuum tumulatum fuiſſe facile credi potuit, & à viro Scoto ad Ioannem Scotum breui morbo, vt mox dicam, ſublatum, transferri fabellam, ex errore prognatam

[a] Trith. in Chronic. Hirſaug. Chronic. Belgic. anno 965. Bruſch. de Epiſc. Colon. Baron. an. 965. Geronis Arch. Colon. mors.

[b] Ferch. c. 10

gnatam. Ego mihi ſanè perſuadeo, vel ex dentato calamo Iouij, vel ex ignorantia quadam ſupinâ, merum hoc prodijſſe figmentum.

Aliud honoficentius mortis genus, quidam ex S. Bernardiuo Senenſi excogitarunt, vt velut alter Moyſes mortuus ſit *iubente Domino.* a Dicnnt enim in ecſtaſi conſtitutum, dum Deo frueretur, ex hoc mundo tranſijſſe ad Patrem, & à Fratribus huius rei ignaris, ita tumulatũ; quâ ratione paries intermedius diſſolutus eſt, vt, qui antea Deo per altiſſimã contemplationem vniebatur, eidem abſque carnis impedimento intimiùs coniungeretur per gloriam. Verba, quæ ex Bernardino tranſcribunt, ſubijcio: b *oportet ſubleuare mentem ab iſtis ſenſualibus ad inſenſualia, ſicut accidit Magiſtro ſubtili Scoto, qui fuit extractus de ſenſualibus ad inſenſualia, & ità fuit eleuatus, quod Fratres, qui ignorabant hunc ſolitum eius morem, credentes ipſum fore mortuum, ſubterrauerunt eum viuum, & poſtea venientes eius diſcipuli, ſcientes id ſæpè accidere, & quid foret de eius modo, interrogantes repererunt eum viuum ſubterratum fore, id eſt, ſuffocatum.*

Attamen quantũuis honorificum, ego apochryphũ hoc mortis genus reputo, &

a Deuter. 34. v. 5.

*Dicunt alij Scotum in ecſtaſi ſepultum.*

b Pſeudo-Bern. ſerm. 6. extraordin. part.

eò

difficiliùs admittendum hoc testimonium, quò leuius, & absque vllo fundamento S. Bernardino attribuitur. Nam quartus ille tomus sermonum, qui *quadragesimale Seraphim* inscribitur, & S. Bernardino adscribitur, ex quo testimonium hoc desumptũ est non est S. Bernardini; sed cuiusdam collectoris Daniëlis de Purzilijs, vti in ipsius libri fronte adnotatur, & Petrus Rodulphus, cuius operâ & studio edita sunt Sancti viri opera, lectorem admonet in epistola præliminari. Immò & ipse collector hoc abundè probat, dum post sermonem decimum-septimum illorum, qui extraordinarij nuncupãtur, plura gesta & miracula Sancti Bernardini recenset. Sunt etiam in illo vniuerso opere, quam plurima S. Bernardino indigna, stylus, barbarus & inconcinnus, totus scatens idiotismis, & vocabulis italicis: Sunt etiam multa ludicra & futilia, neque methodus correspondet ordini, ab eodem obseruato in reliquis voluminibus. Deinde sæpius citatur ipse S. Bernardinus, & tamquam agens vel loquens à collectore introducitur, vti videre est in plurimis sermonibus præsertim in eo ipso, ex quo desumptum est suprascriptum testimonium, & in sermone vndecimo, parte tertia.

***Tomus 4. operum S. Bern. an illius sit.***

Nulla

*Nullus antiquus author Scotũ violẽter occubuisse scribit.*

Nullo itaque modo, siue ad opprobrium, siue ad laudem scribatur, admittendam puto violentam hanc mortem, aut festinatum funus, quod merum figmentũ, & inanẽ fabellam esse vltra rationes supra-allatas, contra sensuum soporem, comprobat silentium omnium, qui Iouij aut huius Danielis ętatem pręcesserunt: eorum præsertim, qui non dissimulanter, sed palam, & acriter in Scotum scripserunt, & doctrinam omni studio labefactare conati sunt. Ex horum numero, pręter domesticos Occamum, & Aureolum, fuerunt asserrores D. Thomæ; Heruæus, qui decimo-septimo anno post Scoti obitum decessit, & cum ipso Scoto Coloniæ de summis Theologiæ apicibus disputauit, vti mox à me subijciendum Ioannis Eckijj viri pijssimi, testimonium docebit: Item Paludanus, qui eodem tempore floruit; Ioannes Capreolus antiquior hoc Daniele: in his nulla est memoria, siue de apoplexiâ, siue de ecstasi, siue quod hac, aut illâ affectus Scotus, viuus elatus sit in sepulchrum.

Aliunde etiam hoc idem confirmatur ex verbis & attestationibus eorum, qui propiùs ad Scoti sæculum de eius morte scripserunt, quorum verba statim subijciam,

ciam, inter quę nullum est, quod huiusmodi violentum indicet decessum.

Neque tamen hęc tanto studio prosequor, aut refello, quod Scoti honori potius consultum velim, quam veritati. Etenim licet apud homines, qui externa respiciunt, & repentinos, atque inopinatos casus infaustos putant, accelerata nimis, vel violenta mors, sinistrã generet opinionẽ, apud Deum tanti ẽst, si hoc, vel illo modo decedat quispiam, dummodò bene vixerit, & in iustitiâ perseuerauerit: Quæcumque illæ fuerint, preciosæ sunt semper mortes iustorum. Temerè itaque iudicauerit, qui ex sceleri, vel violentâ morte, malam obijsse quempiam, aut malè vixisse deduxerit: *Quomodo* inquit Augustinus, a *respicit Dominus mala cogitantes, & dicentes ille malè mortuus est?* cùm iustus esset à bestijs consũptus: non erat ille iustus, ideò malè perijt, nam non periret si iustus esset. Rectè Holchot in Sapientiæ cap. 4. Illud cecinit.

*Preciosa quæcumq; mors iusti.*

a Aug. in Ps. 33.

Holchot.

*Mors iustis subita, quem præcessit bona vita,*
*Non minuit merita si moriatur ita.*

Quis filios, & filias Iob ruinã domus subitò oppressos damnabit? Quis Simonẽ Styliten fulmine percussum, cuius animam ab angelis efferri vidit Sanctus Iu-

a Sapien. 4. v. 7. lianus? Quis S. Agathonicum à Leonibus discerptum, quem aliàs in frigore noctu fouebant? Quis Sanctum Belinum à canibus laceratum? Author est prædictus Holchot sanctum quemdam inter libros, & studia, in suo Musęo obijsse; & dum quidam inde suspicionis calumniã cõciperent, inuentus est digito extenso eum versum designasse a: *iustus quacumque morte praeoccupatus fuerit, in refrigerio erit.* Nunquid Damnādus Martinus V. Ioannes Albertus, Poloniæ Rex, Paulus 2. Carolus 8. Rex Galliæ, alijque viri pij, qui quotidie apoplexiâ intereunt? Ergo *manifesti vel occulti criminis pœnam luunt.* Gero Archiepiscopus Coloniensis sanctissimus à Walramo catedram eius ambiente exstasi correptus, viuus timulatus est; An manifesti criminis pœna? Quot viui in dies aquâ, terrâ, ruinis domorum, & parietum sepeliuntur seu opprimuntur? præterita vitã; non violenta mors, in pœnam imputatur, aut præmium. Mors omnium certa fuit, causam Deus sibi reseruauit. Quod si igitur Doctorẽ Subtilem apoplexiâ; aut alia quapiã subitaneâ morte sublatum fuisse dicatur, quid singulare contrà eum inferendum erat ex successu, tot viris sanctis & pjis communi? repente

pente & violenter perierunt plurimi, nomine & sanctitate clarissimi: per me ita cum illis perierit Scotus, dum sic perijsse probetur; & non ex liuore potius, quam ad historiæ veritatem referatur.

## *Authoris Iudicium, & aliorum de Scoti morte testimonia.*

## CAPVT VNDECIMVM.

EGo vero vt inter tot sinistra, meum sincerè de Scoti morte iudicium interponam, naturalem more aliarum fuisse dixerim, celerem tamen, breui morbo præeunte. Ita enim videntur indicare aliquot carmina, ex varijs vetustis epitaphijs, ad tumulum appensis.

*Tëpora post Christi propria dulcedine lethum*
*Venit atrox, raptim carcere composito.*

Secundum item hoc distichon.

*Doctor subtilis soluens sua lustra Ioannes*
*Scotus in obiectis vltima verba dedit.*

Ex quibus colligo eo ipso die, quo repentinus morbus inuasit, publicè disputasse, fortassis contrà illos hæreticos Begardos, seu Beguinos. & profundè secum de peractis in consessu cogitantem, dum domũ rediret, ex acri cõgressu frigido ani-

ni t'pore, calore constipato, & sudore repressò, repentè dolore correptum, breui, & raptim præmissis Christiani hominis officijs placidè spiritũ exhalasse, Ita enim præscriptos intelligo versus vt postrema verba protulerit in disputatione iuxtà vltimum carmen.

*Scotus in obiectis vltima verba dedit.*

Deinde taciturnum secum altè pensitantem inuaserit morbus, *mox propria dulcedine lethum venerit*. sed raptim, Illa autem prima verba, *tempora post Christi* non ita mihi sonant, vti & alijs, vt indicet Scotum obijsse post annos ætatis Christi, anno scilicet trigesimo quarto, aut quinto; sed annum post Christi natiuitatem, quo Scotus obijt, significant, apposito tamen è regione in margine annorum computo; prout epigrammatarius apposuit, & ex illo Rodulphus exscripsit in hanc modum.

* An 1308. *Tẽpora post Christi * propria dulcedine lethũ.*

Vsus enim est hac partitione propter difficultatẽ distribuẽdi computũ arithmeticum. Consideratione verò dignum est, quòd si calore disputationis pro fidei, aut veritatis zelò, in morbum inciderit & occubuerit, gloriosiùs sanè in certamine spiritali vitam profudit, quàm qui pro terrenâ re in corporali pugnâ moriuntur. O fortunata

fortunata mors, quæ peccato debita, est gratiæ reddita; nec tam pro iniuriâ Adami compensandâ, quàm pro gloria Christi comparanda, est suscepta.

Exscribere hic placuit eorum testimonia, qui Scoti mortem paulò ab eius obitu referunt, neque quidquam ex his fabulosis cõmentis intermiscẽt. Vnde firmiora possũt desumi, quã ex ipsâ in qua iacet, æde? Tria iam profero: primum habet tabula Fratrum defunctorum in Sacrario, & alia in aula capitulari, quod superius iam retuli, atque hic repeto: D. P. F. Ioannes Scotus *sacræ Theologiæ professor, Doctor subtilis nominatus, quondam Lector Coloniæ, qui obijt anno* 1308. *vi. Idus Nouembris.* Secundum ex appensis ad sepulchrum epitaphijs proximè retuli, in quo asseritur mortem propriâ dulcedine venisse; quomodo igitur *subito impetu suo repentina violentia irruisse dicatur?* Tertium ex altero epitaphio.

*Anno milleno ter centum cumq; adderet octo,*
*Postremo clausit letho agitante diem.*

*Qui eandem Scoti mortem referunt.*

Quartum desumo, ex eius discipulo Antonio Andrea, qui ad calcem Commentariorum ad Metaphysicam, in quibus Scoti doctrinam per omnia secutus est, ita subdit; *Tam sententiando quam notando secu-*

*Anton. Andr.*

*tus sum doctrinam illius subtilissimi & excellentissimi Doctoris, cuius fama & memoria in benedictione est, vt pote qui suâ sacrâ profundâ doctrinâ totum orbem adimpleuit, & facit resonare, scilicet Magister* Ioannes Duns, *qui fuit natione Scotus religione minor.* Hoc testimonium excludit saltem omnem malæ suspicionis aculeum, dum memoriam; & famam in benedictione cõsignatam viguisse adstruit. Quintum ex Bartholomæo Pisano, *a* eiusdem seculi Scriptore, qui in recensu prouinciarum Ordinis, ita Scribit de Coloniensi: *Prouincia Colonia habet septem Custodias; Custodia Coloniensis habet locum Coloniæ, in quo iacet Doctor Subtilis* Frater Ioannes Scotus, *qui ibidem lector decessit* Sextum ex Mariano Florentino, *b* proximi post Scotum seculi, fido historico: *Scotus Coloniæ tandem consummatus in b eui ex operibus suis æterna præmia recepit: ibique in Conuentu Coloniensi Agrippino superioris Germaniæ, honorificè sepultus, in magnaque veneratione habitus est; excessit anno salutis* 1308. Septimum do ex Illustrissimo Francisco Gõzaga: *c* posterioris seculi authore: Scotus, inquit, *Coloniæ obijt anno* 1308. *magno sui Patribus, ac discipulis relicto desiderio.*

*a* Pisan. confor, 11.

*b* Marian. lib. 3, c. 25.

*c* Gonz in Con. Prou.

Tres deinde addo, qui non solùm referant communi cum alijs sorte *a* extinctũ, sed & refellant hæc portentosa figmenta. Ioannes Stommelius Coloniẽsis, oratione in ipsâ vrbe Coloniâ, pro rostris habitâ, largius hoc *festinatum funus* impugnat, eoq; nihil imprudentiùs, nihil inconsultiùs dici posse asseuerat. Petrus Rodulphus *b* Episcopus Senogalliæ, Paulum Iouium, in suo asserto, nũlla ratione suffultum scribit; cumque tanquam *c* iudicem iniquum in describendâ Scoti morte se gessisse: Aubertus Mirræus vir sincerus & candidus historicus: Ioãnes Dũsius Scotus Doctor subtilis *cognomẽto, Ordinis Frãciscani, moritur Coloniæ 8. Nouembris. Fabulosum illi mortis genus Paulus Iouius in elogijs virorum doctrinâ illustrium affinxit; vt pote cuius nulla sit Coloniæ memoria in Monasterij archiuis. aut epitaphijs varijs tumulo appensis.*

*Qui figmentum hoc refellunt.*

*a* Stommel. orat. de Scoti laud.

*b* Rodulp. fol. 326.

*c* Mirræus in Chron.

## *Epitaphia ad Scoti tumulum appensa.*

## CAPVT DVODECIMVM.

Epitaphia omnia tum ad superiorum confirmationem, tum vt consulamus posteritati nè pereant, placet exscribere, ipsa inconcinnitas, phrasis demissa nimis, rudis

rudis minerua, & planus dicendi modus, vetuſtatis ingerunt reuerentiam, Primo lapidi, qui ſuperpoſitus erat ſepulchro paulò poſt mortem, inſculptum hoc primum Epitaphium carmine leonino cuius etiã exẽplar, & rei narratio cõſeruatur in quodã codice M. SS. Bibliothecæ Minorum Colonienſis inter litteras G, & H, in 3. pluteo ad dexteram ingredientis.

Primum Scoti Epitaphium.

*Clauditur hic riuus, fõs ecclesiæ, via, viuus*
*Doctor iuſtitiæ, ſtudij flos, arca ſophiæ.*
*Ingenio ſcandens, ſcripturæ abdita pãdens*
*In teneris annis fuit, ergo memẽto Ioannis.*
*Hunc Duns ornatum fac cœlitus eſſe beatũ*
*Pro Pat[illegible] trãſlato modulemur pectore grato:*
*Dux fuit hic Cleri, clauſtri lux, & tuba veri.*

Additi ſunt poſtea hi quatuor verſus, in primâ tranſlatione oſſium venerabilis Doctoris, ad medium chori, quam mox referimus, & habentur in codicè prædicto.

Additio ad primuuı Scoti Epitaphium.

*Hic lector Scotus Subtilis, ſit bene notus*
*Doctor humi ſtratus: hac ſubq; nola tumulatus:*
*Pro quo orate, Chriſti veniam flagitate,*
*Dicenteſq; piè, tu ſumme Deus miſerere.*

Sub annum 1509. editius, & pulchrius elaboratum eſt ſepulchrum, & ad pedes eiuſdem hoc Epitaphium cultioris Miner-

uæ incisũ est laminę ęneę ad pedes affixæ.

*Ante oculos saxum Doctore deprimit ingens,*
*Cuius ad interitum sacra Minerua gemuit.*
*Siste gradum Lector, fuluo dabis oscula saxo;*
*Corpus* Ioannis *hac tenet vrna* Scoti.
*Anno milleno ter* CCC.*cumque adderet octo,*
*Postremam clausit letho agitante diem.*

Deinde in duabus tabulis pendebant ex sepulchro hęc, quæ sequuntur inculta carmina, quæ postea in vnam redacta sunt; eaque nunc seruatur in Bibliotheca.

Primũ in tabula sequitur hoc Epitaph.

*Parisius plora, mœstis incede lacernis,*
*Hic perit in toto, quod volat orbe decus.*
*O Sorbona tuis humiles compone Cathedras,*
*Cultus ab ingenijs fons sacer artis abest.*
*Straminis in vico placidi certaminis ordo,*
*Cessitat, heu belli desiuit esse caput?*
*Pondere supremi validos componite luctus,*
*Doctiloqui pulset tristia corda pauor.*
*Hunc. posito vultu læto, deflete togati,*
*Discipulis labor hic omnibus vnus erit.*

In eadẽ deinde tabula sequitur hoc secũdũ.

Doctor Subtilis *soluens sua lustra* Ioannes
Scotus *in obiectis vltima verba dedit.*
*Huic humilis casto Francisci chordula renes*
*Strinxit, erat sapiens presbiter officio.*
*Feruebat studio nulli virtute secundus,*
*Quod didicit totum, mox alios docuit.*

*Concepta est Virgo primi sine labe parentis:
*Begardorũ. Hic tulit: hic heresi * prælia dira dedit.
Inde genus meriti tantum sibi papa refūdens,
Doctor subtilis dicitur inde dedit.
Quattuor in scriptis, quæ sūt diuina probauit,
Hinc reliquis vates lumine plus viguit.
Quin & sancta mihi, quæ digna problemata liquit
Ingenijs nostris fertiliora valent.
Artibus egit opem tutò, nunc illi modernos
Prosequitur pandens, quæ via sit veterum.
* Ann.1308. Tēpora post Christi * propriā dulcedine lethū
Venit atrox raptim carcere composito.
Dogmata, qui quondā retulit non infimus orbi
Exiguus cunctis nunc silet exanimis.
Qui ratione stetit, non victus, semper Achilles
Cæno sordidior vincitur ille fimo.
Horrida iam sarcos trahitur sub lite voranda,
Hūc subeāt vermes, proh! noua præda venit.
Ante gradus medios, nola nunc vbi pendet ab alto,
Hic Chorus in terris ossa tenet tumulo.
Turba futura canet bona, quæ cōgessit in vnū
Singula, quæ docuit, scripta relicta manēt.
Flebile qui busti præsens epigramma tueris,
Hanc animam societ, posce Deum superis.

Dubium

## *Dubium incidens, an subscripserit Scotus operibus Raymundi Lulli?*

### CAPVT XIII.

EX his epitaphijs, & certo calculo mortis Scoti, quam omnes boni Authores vnanimiter scribunt hoc anno accidisse, manifestè sequitur errare eos, qui dicunt, aut putant Scotum hunc nostrum approbasse opera Raymundi Lulli, seu propriâ manu illius Arti paruę, siue breui, subscripsisse. Etenim illa approbatio facta fuit Parisijs 1309. mense Februario; Scotus verò, vt visum est, decessit 8. Nouembris anni præcedétis, in ciuitate Coloniæ. Verū est duos subscriptos esse Ioānes Scotos, inter quadraginta Doctores, qui illam artem probarunt; vnus ita subscripsit, *Ioannes Scotus in artibus Magister*, alius sic, *Ioannes Scotus*. Seruatur autographum Parisijs, exemplar verò authenticum in archiuo regni Balearium. Hoc eius initium. *Vniuersis præsentes litteras inspecturis, Officiales curiæ Parisiensium in Domino salutem.*

Nouerint

*Nouerint uniuersi quod in præsentia Magistri Ioãnis de Salinis, & Michaëlis de Ionqueria, nostrorũ Clericorũ iuratorũ, quibus in his & maioribus fidem in dubium adhibemus, & quibus, quoad hæc commisimus tenore præsentium vices nostras, propter hoc personaliter constitu.i, Magister Martinus in Medicina.* Magister Ioannes Scotus in artibus Magister, &c. finis vero approbationis ita habet. *Datum ann. Domini 13c9. die Martis post octauam festi purificationis B. Virginis gloriosæ Mariæ.*

Eodem anno, & die factam esse hanc approbationem confirmat priuilegum Alphonsi Aragonum Regis datum Neapoli anno 1449. & alterum Caroli. V. Imperatoris Hispali Anno 1526. quibus Lullianæ patrocinãtur Doctrinę, inserta ad verbum prædicta approbatione Parisiensi. Conuincitur itaque non subscripsisse *Ioannem* nostrum iam defunctum, sed alios; nisi fortassis dicatur eum priusquam Parisijs discesserit, subscripsisse, confectum tamen postea approbationis publiblicum instrumentum, vel authenticatum per acta iuris solennia.

Vidisse & cognouisse *Scotum* Parisijs Raymundũ probabile est; nam & eius tẽpore Luteciæ fuisse constat ex ijs quæ scripsimus

pſimus alias *a* ferūtq́ue Lullianæ doctrinæ ſectatores, eum interfuiſſe aliquando *Scoti* lectionibus, in quibus dum ſubmiſſo murmure, & nutante capite ſignificaret aliqua ex ijs, quæ dicebat *Scotus*, non adeò ſibi probari, idq́ue exterioribus ſignis Doctor animaduertiſſet, hominem incultum, & vili indutum habitu contempſiſſe, & vt periculum faceret, an Grammaticè ſciret, qui Theologos improbabat, interrogaſſe; *Dominus, quæ pars?* ſcilicet, *orationis*. Et Raymundū reſpondiſſe prōptè nimis, *Dominus non eſt pars, ſed totum*: atque hinc ſumpſiſſe occaſionem profundiùs loquēdi cū *Scoto* de miſterijs diuinis, & de colloquio hoc, peculiarem ſcripſiſſe tractatum. *a* In Annal. an 1195. i. 14.

Sane inter Lulli opera, quorū cathologū attexuit Alphonſus de Proaza in Calce Artis inuentiuę veritatis, huius opuſculi mentio habetur his verbis: *Liber dictus* Dominus quæ pars? *Qui fuit diſputatio Raymūdi & Scoti.*

## *Variæ Scoti funeris trāſlationes.*

### CAPVT XIV.

Diximus iā vt ad Scoti tumulū regrediatur oratio, quo loco primū tumulatus ſit.

sit, ad introitũ sacrarij, propè Altare triũ Regũ, vbi per aliquod annos requieuit, donec gliscẽte eius famâ, & latiùs in dies se diffũdente; nobiliori locô dignà iudicata sunt eius ossa. Quapropter in medium Chorum sub campana, de tecto pendente, in lapidea vrna, latiori cooperta lapide, sunt reposita, dehinc terrà completâ fossâ lapis honorabilior superpositus est. Tunc facta est illa additio, *Hic Lector* Scotus &c. ad primum epithaphium. Huius translationis, & tumuli testimonium perhibet Chronicon Coloniense Germánicè ab A. Milmano editum. Anno 1499. facta fuit, si coniecturare licet, tempore Sixti quarti, quo Mysterium Immaculatę Conceptionis B. Mariæ Virginis illustratum est Pontificiis decretis, Indulgentiis peccatorum, proprio Ecclesiastico officio alijsque incrementis; tunc enim decebat prçcipuum insignis priuilegij Doctorem præexcellentius innotescere, atque in omnium prodire conspectum.

*Secunda Trãslatio.*

*a* Theuet. de viris Illust. in Ioan. Scoto.
*b* Surius in Chron. ann. 1509.
*c* Trithemius in Chron. Spanhem.
*d* Chron. Citizen an. eod.

Deinde cum anno 1509. ardenter ageretur de hoc mysterio in Germaniâ, & alibi; vti referunt Andreas Theuet, *a* Surius, *b* Trithemius, Chronicon Citizense, *d* & alij; rursus prodijt Scotus, erutis ossibus, & collocatis ponè summum altare

donec

donec editius & nobilius monumentum aurichalco affabrè elaborato tectum fabricaretur : deinde opere completo, anno 1513. in eadem, quam suprà diximus, pilà reposita ad caput sepulchri. Constant omnia hæc ex Chirographo in arculâ plõbeâ, prope Scoti ossa, inuento, quod Iosephus Pisculius Melphiensis tunc Commissarius generalis in archiuo Conuentus collocauit. En eius exemplar: *Prima Trãs latio.*

[ Notum sit omnibus, & pateat euidenter vniuersis, & singulis, tam præsentibus, quàm futuris, quod Anno Domini millesimo quingentesimo nono penultima mẽsis Augusti, sub Põtificatu sãctissimi in Christo Patris & Domini Iulij, diuina prouidentia Papæ secundi, Archiepiscopatu Coloniensi, Philippi Deiberstein; atque Imperio Maximiliani Archiducis Austriæ electo, Ministeriatu Coloniensi Fr. Wesseli Gosbrinch de Monasterio, Sacrosanctę Theologiæ Magistri; Guardianatu huius insignis nostri Conuentus Coloniensis Fr. Ioannis Custer; Lectoratu verò Fr. Wuillelmi Franck, Theologiæ facultatis Magistri; Pœnitentiariatu Fr. Gerardi Pauli facultatis dictæ Biccalaurei formati; Cursoratu Fr. Cornelij de Dauentria; studij Magisterio Fr. Rogerij de Rattinge; apper-

apertum est sepulchrum Doctoris Subtilis *Fr. Ioannis Scoti*, obsingularem, affectionem Patrum & Fratrum: inuenta sunt eius ossa integra, & admodum redolentia, subrubra, & in iuncturis alba, ad instar lactis vncta. Et ex tunc in Altari summo retrorsum posita. Mox in hoc sarcophogo ex aurichalcò facto, vt apparet ex nunc, eleemosina Guardiani prædicti collecta. Anno vero Domini 1513. sexta decima mensis Augusti, hæc eius cuncta ossa hoc in sarcophago posita atque recondita, Pontificatu Domini Sanctissimi Leonis Decimi. Archiepiscopatu Dom. Philippi Deiberstein; Ministeriatu. R. P. F. Hermanni Haucilor, sacræ Theologiæ Ministri; Gustudiatu Custodię Frisię R. P. F. Ioannis de Dursten; Guardianatu R. P. F. Gherardi Pauli supradictæ facultatis Magistri; Lectoratu Fr. Cornelij de Dauentria Baccalaurei formati; Senioratu Fr. Iacobi Rutgerij Prouinciatoris Conuentus, & Rogerij Rattingen Sacristæ Cōuentus; Cursoratu Fr. Iacobi de Mondorp; studij Magisterio Fr. Willelmi de Selingen: quò quidem anno in Octaua Regum, ex tumultu populi Coloniensis docollati sunt in foro Fœniburgi Magistri, videlicet Ioannes de Reit, & Ioannes Oldendorp, nobiscum

in

in Capella Sancti Francisci sepultus, & Reddituarius ciuitatis Ioannes Bergum, alias Papægei, & alij plures, ex ciuibus tres, quorum animæ in pace perpetuâ lętentur.

Scriptum per me Fr. Liborium Rodolphi de Conuentu Paderbornensi, maioris studij huius insignis Conuentus Decani, Anno Dom. 1513. 16. dies mensis, Augusti.]

Nobile Sanè tunc extructum sepulchrum, quòd aliquanto clarius libet hîc describere. Descendenti à summo Altari ad Chori planitiem occurret vltimus gradus lapideus, in quo litteris excultis ita habetur, *Obijt* Fr. Ioannes Scotus, *sacræ Theologiæ* Doctor Subtilis *nominatus*, *An.* 1308. Distat ab hoc gradu, in Chori planitie mediâ, Scoti sepulchrum pedis Geometrici mensurâ, tribusque fere geometricis palmis eminet à terrâ quadrangulum altera parte longius, lamina ex auri chalco vel ære coopertum. In medio ænei tegumenti est imago Scoti, librũ tenẽtis, scitè elaborata; ad eius pedes hinc inde iacent strati duo Leones, velut custodes. In extremitatibus longitudinem ad dexteram, & ad sinistram occupant insculpti præclarissimi quidam Religionis nostrę Doctores, non omnes tamen sunt Scoti discipuli;

*Nobile Scoti sepulchrum.*

eos aſcendens enumero. Ad dexteram Guilielmus Okã, Vgo de Nouo-caſtro, Frãciſcus de Mayronis, Richardus de Media-villa, Alexãder de Ales. Ad lęuã Nicolaus de Lyra, Petrus Aureolus, Rogerus Varro, in ſuperiori parte ſepulchri ad caput Scoti, tres in medio exſculpti ſunt Pontifices. quos Minorum familia tunc enixa erat. Alexander V. Nicolaus IV. Sixtus IV. cum eorum ſtemmatibus. In angulis latitudinem & longitudinē implentes sũt duo Cardinales, ſcilicet D. Bonauentura Doctor Eccleſiæ, & Bertrandus, cum inſignibus eorum. Tegumentum vero eſt egregium, & perpulchro artificis opificio intextum. A ſepulchro ſtatim in pauimento Chori, lapis quadratus inuenitur, his litteris deſuper ornatus : *Hic aperitur ſepulchrum* Doctoris Subtilis, *dicti* Ioannis Duns.

*Tertia Trãſlatio;* Poſtremo Reuerēdiſſimus Iacobus Bagnacaballenſis, Ordin. Min. Conuentualiũ Generalis Magiſter, coram Illuſtriſſ. Domino. D. Antonio Albergato, Epiſcopo Vigiliarum, & Nuntio A[illegible] ... [illegible] ctum Rhenanum [illegible]
latere, An[illegible]
iuſſit [illegible]



duobus pedibus Geometricis humi, quadratus lapis alter sublatus est: tùm in pilâ lapideâ, trium palmorum extentę manus, apparuit caluaria super maioribus ossibus corporis: sub his aliquanta terra, minoribus quibusdam ossibus concreta. Ossibus in sacrario, sub duplici claue, repositis, die sequenti sepulchrum eruderatum, parietibus lateritijs, atque strato quadrangulari opere ędificatum, assere in medio librato. Item duplex arca parata, vna lignea, quæ humo sub Scoti ossibus existente repletâ, in fundo sepulchri collocata est; altera plumbea quatuor palmorum exertis digitis emensorum longitudinis, duobus latitudinis, penè duobus altitudinis, & in hâc rursus arca quernâ, tegumento vitreo tecta, est ad amussim inclusa, in ea pluribus collocatis odoribus die 15. Ioannis Duns Scoti ossa sur … lita, superque medium sepulc… n collocata. Cum Scoti ossib… m arcâ, repositum est chi… superius relatum Anno 13… sequens adiec… vascu… om… ę, & indiu… is… post Natiui… ni… sti 1619. … Papæ

eos aſcendens enumero. Ad dexteram Guilielmus Okã, Vgo de Nouo-caſtro, Frãciſcus de Mayronis, Richardus de Media-villa, Alexãder de Ales. Ad lęuã Nicolaus de Lyra, Petrus Aureolus, Rogerus Varro, in ſuperiori parte ſepulchri ad caput Scoti, tres in medio exſculpti ſunt Pontifices. quos Minorum familia tunc enixa erat. Alexander V. Nicolaus IV. Sixtus IV. cum eorum ſtemmatibus. In angulis latitudinem & longitudinẽ implentes sũt duo Cardinales, ſcilicet D. Bonauentura Doctor Eccleſiæ, & Bertrandus, cum inſignibus eorum. Tegumentum vero eſt egregium, & perpulchro artificis opificio intextum. A ſepulchro ſtatim in pauimento Chori, lapis quadratus inuenitur, his litteris deſuper ornatus : *Hic aperitur ſepulchrum* Doctoris Subtilis, *dicti* Ioannis Duns.

*Tertia Trãſlatio.* Poſtremo Reuerẽdiſſimus Iacobus Bagnacaballenſis, Ordin. Min. Conuentualiũ Generalis Magiſter, coram Illuſtriſſ. Domino. D. Antonio Albergato, Epiſcopo Vigiliarum, & Nuntio Apoſtolico per Tractum Rhenanum, cum poteſtate legati de latere, Anno 1619, die 13. Ianuarij, Scoti iuſſit oſſa luſtrari. Elato itaque lapide ad caput ſepulchri effoſſis ad perpendiculum duobus

duobus pedibus Geometricis humi, quadratus lapis alter sublatus est: tùm in pilâ lapideâ, trium palmorum extentę manus, apparuit caluaria super maioribus ossibus corporis: sub his aliquanta terra, minoribus quibusdam ossibus concreta. Ossibus in sacrario, sub duplici claue, repositis, die sequenti sepulchrum eruderatum, parietibus lateritijs, atque strato quadrangulari opere ędificatum, assere in medio librato. Item duplex arca parata, vna lignea, quæ humo sub Scoti ossibus existente repleta, in fundo sepulchri collocata est; altera plumbea quatuor palmorum exertis digitis emensorum longitudinis, duobus latitudinis, penè duobus altitudinis, & in hâc rursus arca quernâ, tegumento vitreo tecta, est ad amussim inclusa, in ea pluribus collocatis odoribus die 15. Ioannis Duns Scoti ossa sunt recondita, superque medium sepulchri asserem collocata. Cum Scoti ossibus, in eâdem arcâ, repositum est chirographum superius relatum Anno 1313. factum, & sequens adiectum in vasculo plumbeo.

[In nomine Sanctissimę, & indiuiduæ Trinitatis, Amen. Anno post Natiuitatem Domini nostri Iesu Christi 1619. Pontificatus Sanctiss. D. N. Papæ Pauli V.

quarto-decimo, inuictissimi Imperatoris Matthiæ Austriaci sẽper Augusti septimo; Sereniss. & Illustriss. Ferdinandi Ducis Bauariæ Archiepiscopi & Electoris Coloniensis anno octauo, Indictione secũda: cùm primâ die mensis Decembris, in hāc Illustrissimâ in ciuitatẽ Coloniensẽ paterno affectu, & zelo ductus Reuerendiss. in Christo Pr. Fr. Iacobus Bagnacaballẽsis, Ordinis Minorum Conuentualiũ Min. General. ad visitandũ & reformandum eiusdẽ ordin. Minor. Conuentualium D. Francisci Conuentum venisset; cùmque multa pia, salubria, & sancta in actibus visitationis instituisset; mandauit quoque, vt sepulchrum Fr. Ioannis Duns Scoti dicti ord. Min. Conuẽtualium Doctoris Subtilis, in medio chori sub campanâ situm, & ænea lamina (quę ipsius Doctoris Subtilis effigie illustrata est) coopertũ, aperiretur: ad videndum vbi, & quomodo ossa, omni veneratione digna requiescerent. Die ergo 13. mensis Ianuarij; præsentibus & inspectantibus Illustriss. ac Reuerendiss. D. D. Antonio Albergati Bononiẽ. Episcopo Vigiliarum, ac Nũtio Apostolico per Tractũ Rhenanum, cum potestate Legati à latere; itẽ Reuerendiss. D. D. Othone Gereõ. Episcopo Cyrenensi, & Suffraganeo Colonien. eodemmet etiam Reuerendiss. Pr.

Iacobo Bagnacaball. Generali; admodum Reuerendiſſ. P. Ioanne Pelckingio Prouinciali Miniſtro; & Guardiano Coloniæ ac viſitatore Generali; Admodũ Reuer. P. Matthæo Veglenſi Prouinciali S. Bonauenturæ: admod. quoque Reuerend. P. Ludouico de Caſtro Prouinciali Leodienſi; RR. demum Patribus Sacroſanctæ Theologiæ Doctoribus Gerardo Romeio, &c. ſupradictum ſepulchrum apertum eſt per veſpiliones, ſubleuando lapidem iacentem ad caput ſepulchri, cui inſcriptum erat. *Hic aperiuur ſepulchrum Ioannis Duns Scoti Doctoris ſubtilis.* Effoſsâ ergo aliquantulũ terrâ, inuentus eſt Sarcophagus ex lapide viuo, & in eodem reperta ſunt pleraque oſſa ſupradicti Doctoris valde rubea; ſed quoniam hoc modo parum decenter condita, & ſeruata putabantur, eo quod ad caput ipſius ſepulchri in lapide impoſito requieſcerent: hinc Præfatus Reuerendiſſ. P. Generalis præcepit vt euacuatâ ex ſepulchro terrâ, opus concameratum ſub ipſo lapide conſtruerent, vt ſuprà memorata oſſa honeſtiùs, ac decentiùs pro tanti Doctoris dignitate collocari poſſent. Confecta eſt ergo arca plumbea, cui oſſa arculæ ligneæ incluſa, piè ſunt impoſita, ac poſtmodum in ſepulchro concamerato reuerenter collocata. Sarco-

phagus quoque ligneus præparatus est, in quo terra recondita est, quę in ante dicto sarcophago lapideo ossibus intermixta, iacuerat; idemque in sepulchro apud ossa collocatus, assistente, & adspectante cum supradictis PP. Reuerendissi. Pr. Iacobo Bagnacaball. Ministro Generali, admirabili cum affectu, zelo, ac pietate, pro decore, ac illustratione, honore, ac gloriâ Doctoris subtilissimi, atque Religionis Seraphicæ. In quorum omnium fidem ego Fr. Gherardus Romerus Sac. Theologiæ Doctor, Notarius ad hoc à Reuerendissimo P. Generali specialiter deputatus, pręsens hoc instrumentum (saluâ semper copiâ vlterioris dilationis) confeci, vocatis ad illud idem testibus admodum R. P. Vberto Iunckmanno, Patre Prouincię, & P. Ioanne Molmano Fremoniensi.

Actum Coloniæ in Conuentu nostro S. Frãcisci, Ann. 1619. die mẽsis vt suprà.

Fr. Iacobus Bagnacaballensis Minister Generalis, ita est.

Ego Fr. Gerardus Romerus Sacro-sanctę Theologię humilis Doctor, tanquam Notarius, vt supra attestor.

Ego Fr. Ioannes Fœlix de Brixia Ord. Min. Conu. S. Francisci secundus Secretarius fidem facio: & testor prędi-

cta

cta fuiſſe ſcripta à P. Magiſtro Gherardo Romero, de mandato Reuerendiſſimi. In veritatis teſtimonium, &c. die 15. Ianuarij 1619. in Conuentu S. Franciſci. ]

Locus ſigilli.

Plumbeum arcæ operculum intrinſecùs in membrana, oſſe pellucido tecta, Hæc habet. *Hic iacent oſſa.* Fr. Ioannis Duns Scoti, *Doctoris Subtilis, piiſsimi cultoris, & defenſoris immaculatæ Conceptionis Deiparæ Virginis Mariæ: qui è terrâ effoſſus, & in hunc locum, terrâ, quâ plenus erat, eiectâ, lapide ſtratum, iuſſu* Reuerend. *P. Magn. Fr. Iacobi Bagnacaballenſis Ord. Min. Conuentualium Miniſtri Generalis anno* 1619. *XIIX. Calend. Februarij* Extrinſecùs pagina inſcripta hæc eſt: *Reuerendiſſ. Pr. Fr. Iacobus Bagnavalienſis Artium, & Sacræ Theologiæ Doctor, necnon vniuerſi Ord. Minorum Conuentualium Miniſter Generalis, Anno* 1619. *dum hunc Conuentum viſitat* Fr. Ioannis Duns, *Doctoris Subtilis meritò nominati, intemeratæ Conceptionis Virginis Mariæ, piiſsimi Cultoris, & acerrimi propugnatoris, oſſa, quæ terræ immixta in diem illum vſque iacuerant, effoſſa humo, in loculũ concameratum ſtratum

ſit, ad introitũ ſacrarij, propè Altare triũ Regũ, vbi per aliquod annos requieuit, donec gliſcēte eius famâ, & latiùs in dies ſe diffũdente ; nobiliori loco digna iudicata ſunt eius oſſa. Quapropter in medium Chorum ſub campana, de tecto pendente, in lapidea vrna, latiori cooperta lapide, ſunt repoſita, dehinc terrâ completâ foſsâ lapis honorabilior ſuperpoſitus eſt. Tunc facta eſt illa additio, *Hic Lector* Scotus &c. ad primum epithaphium. Huius tranſlationis, & tumuli teſtimonium perhibet Chronicon Colonienſe Germanicè ab A. Milmano editum. Anno 1499. facta fuit, ſi coniecturare licet, tempore Sixti quarti, quo Myſterium Immaculatę Conceptionis B. Mariæ Virginis illuſtratum eſt Pontificiis decretis, Indulgentiis peccatorum, proprio Eccleſiaſtico officio alijsque incrementis, tunc enim decebat pręcipuum inſignis priuilegij Doctorem præexcellentius innoteſcere, atque in omnium prodire conſpectum.

*Secunda Trãſlatio.*

Deinde cum anno 1509. ardenter ageretur de hoc myſterio in Germaniâ, & alibi; vti referunt Andreas Theuet, *a* Surius, *b* Trithemius, Chronicon Citizenſe, *d* & alij; rurſus prodijt Scotus, erutis oſſibus, & collocatis ponè ſummum altare donec

*a* Theuet. de viris Illuſt. in Ioan. Scoto.
*b* Surius in Chron. ann. 1509.
*c* Trithemius in Chron. Spanhem.
*d* Chron. Citizen an. eod.

donec editius & nobilius monumentum aurichalco affabrè elaborato tectum fabricaretur: deinde opere completo, anno 1513. in eadem, quam suprà diximus, pilà reposita ad caput sepulchri. Constant omnia hæc ex Chirographo in arculâ plō-beâ, prope Scoti ossa, inuento, quod Iosephus Pisculius Melphiensis tunc Commissarius generalis in archiuo Conuentus collocauit. En eius exemplar: *Prima Trăs latio.*

[ Notum sit omnibus, & pateat euidenter vniuersis, & singulis, tam præsentibus, quàm futuris, quod Anno Domini millesimo quingentesimo nono penultima mēsis Augusti, sub Pōtificatu sāctissimi in Christo Patris& Domini Iulij, diuina prouidentia Papæ secundi, Archiepiscopatu Coloniensi, Philippi Deiberstein; atque Imperio Maximiliani Archiducis Austriæ electo, Ministeriatu Coloniensi Fr. Wesseli Gosbrinch de Monasterio, Sacrosanctę Theologiæ Magistri; Guardianatu huius insignis nostri Conuentus Coloniensis Fr. Ioannis Custer; Lectoratu verò Fr. Wuillelmi Franck, Theologiæ facultatis Magistri; Pœnitentiariatu Fr. Gerardi Pauli facultatis dictæ Baccalaurei formati; Cursoratu Fr. Cornelij de Dauentria; studij Magisterio Fr. Rogerij de Rattinge; apper-

apertum est sepulchrum Doctoris Subtilis *Fr. Ioannis Scoti*, obsingularem, affectionem Patrum & Fratrum: inuenta sunt eius ossa integra, & admodum redolentia, subrubra, & in iuncturis alba, ad instar lactis vncta. Et ex tunc in Altari summo retrorsum posita. Mox in hoc sarcophogo ex aurichalcô facto, vt apparet ex nunc, eleemosina Guardiani prædicti collecta. Anno vero Domini 1513. sexta decima mensis Augusti, hæc eius cuncta ossa hoc in sarcophago posita atque recondita, Pontificatu Domini Sanctissimi Leonis Decimi. Archiepiscopatu Dom. Philippi Deiberstein; Ministeriatu. R. P. F. Hermanni Haueilor, sacræ Theologiæ Ministri; Gustudiatu Custodię Frisię R. P. F. Ioannis de Durften ; Guardianatu R. P. F. Gherardi Pauli supradictæ facultatis Magistri; Lectoratu Fr. Cornelij de Dauentria Baccalaurei formati; Senioratu Fr. Iacobi Rutgerij Prouinciatoris Conuentus, & Rogerij Rattingen Sacristæ Cōuentus; Cursoratu Fr. Iacobi de Mondorp ; studij Magisterio Fr. Willelmi de Selingen: quò quidem anno in Octaua Regum, ex tumultu populi Coloniensis decollati sunt in foro Fœniburgi Magistri, videlicet Ioannes de Reit, & Ioannes Oldendorp, nobiscum in

in Capella Sancti Francisci sepultus, & Reddituarius ciuitatis Ioannes Bergum, alias Papægei, & alij plures, ex ciuibus tres, quorum animæ in pace perpetua lętentur.

Scriptum per me Fr. Liborium Rodolphi de Conuentu Paderbornensi, maioris studij huius insignis Conuentus Decani, Anno Dom. 1513. 16. dies mensis, Augusti.]

Nobile Sanè tunc extructum sepulchrum, quòd aliquanto clarius libet hìc describere. Descendenti à summo Altari ad Chori planitiem occurret vltimus gradus lapideus, in quo litteris exculptis ita habetur, *Obijt Fr. Ioannes Scotus, sacræ Theologiæ* Doctor Subtilis *nominatus, An.* 1308. Distat ab hoc gradu, in Chori planitie mediâ, Scoti sepulchrum pedis Geometrici mensurâ; tribusque fere geometricis palmis eminet à terrâ quadrangulum altera parte longius, lamina ex auri chalco vel ære coopertum. In medio ænei tegumenti est imago Scoti, librū tenētis, scitè elaborata; ad eius pedes hinc inde iacent strati duo Leones, velut custodes. In extremitatibus longitudinem ad dexteram, & ad sinistram occupant insculpti præclarissimi quidam Religionis nostrę Doctores, non omnes tamen sunt Scoti discipuli;

*Nobile Scoti sepulchrum.*

eos aſcendens enumero. Ad dexteram Guilielmus Okã, Vgo de Nouo-caſtro, Frãciſcus de Mayronis, Richardus de Media-villa, Alexãder de Ales. Ad lęuã Nicolaus de Lyra, Petrus Aureolus, Rogerus Varro, in ſuperiori parte ſepulchri ad caput Scoti, tres in medio exſculpti ſunt Pontificẽs. quos Minorum familia tunc enixa erat. Alexander V. Nicolaus IV. Sixtus IV. cum eorum ſtemmatibus. In angulis latitudinem & longitudinẽ implentes sũt duo Cardinales, ſcilicet D. Bonauentura Doctor Eccleſiæ, & Bertrandus, cum inſignibus eorum. Tegumentum vero eſt egregium, & perpulchro artificis opificio intextum. A ſepulchro ſtatim in pauimento Chori, lapis quadratus inuenitur, his litteris deſuper ornatus : *Hic aperitur ſepulchrum* Doctoris Subtilis, *dicti* Ioannis Duns.

*Tertia Trãſlatio;* Poſtremo Reuerẽdiſſimus Iacobus Bagnacaballenſis, Ordin. Min. Conuentualiũ Generalis Magiſter, coram Illuſtriſſ. Domino. D. Antonio Albergato, Epiſcopo Vigiliarum, & Nuntio Apoſtolico per Tractum Rhenanum, cum poteſtate legati de latere, Anno 1619, die 13. Ianuarij, Scoti iuſſit oſſa luſtrari. Elato itaque lapide ad caput ſepulchri effoſſis ad perpendiculum

duobus

duobus pedibus Geometricis humi, quadratus lapis alter sublatus est: tùm in pilâ lapideâ, trium palmorum extentę manus, apparuit caluaria super maioribus ossibus corporis: sub his aliquanta terra, minoribus quibusdam ossibus concreta. Ossibus in sacrario, sub duplici claue, repositis, die sequenti sepulchrum eruderatum, parietibus lateritijs, atque strato quadrangulari opere ędificatum, assere in medio librato. Item duplex arca parata, vna lignea, quæ humo sub Scoti ossibus existente repleta, in fundo sepulchri collocata est; altera plumbea quatuor palmorum extertis digitis emensorum longitudinis, duobus latitudinis, penè duobus altitudinis, & in hâc rursus arca quernâ, tegumento vitreo tecta, est ad amussim inclusa, in ea pluribus collocatis odoribus die 15. Ioannis Duns Scoti ossa sunt recondita, superque medium sepulchri asserem collocata. Cum Scoti ossibus, in eâdem arcâ, repositum est chirographum superius relatum Anno 1313. factum, & sequens adiectum in vasculo plumbeo.

[In nomine Sanctissimę, & indiuiduæ Trinitatis, Amen. Anno post Natiuitatem Domini nostri Iesu Christi 1619. Pontificatus Sanctiss. D. N. Papæ Pauli V.

quarto-decimo, inuictiſſimi Imperatoris Matthiæ Auſtriaci ſẽper Auguſti ſeptimo; Sereniſſ. & Illuſtriſſ. Ferdinandi Ducis Bauariæ Archiepiſcopi, & Electoris Colonienſis anno octauo, Indictione ſecũda: cùm primâ die menſis Decembris, in hãc Illuſtriſſimâ in ciuitatẽ Colonienſẽ paterno affectu, & zelo ductus Reuerendiſſ. in Chriſto Pr. Fr. Iacobus Bagnacaballẽſis, Ordinis Minorum Conuentualiũ Min. General. ad viſitandũ & reformandum eiuſdẽ ordin. Minor. Conuentualium D. Franciſci Conuentum veniſſet; cùmque multa pia, ſalubria, & ſancta in actibus viſitationis inſtituiſſet; mandauit quoque, vt ſepulchrum Fr. Ioannis Duns Scoti dicti ord. Min. Conuẽtualium Doctoris Subtilis, in medio chori ſub campanâ ſitum, & ænea lamina (quę ipſius Doctoris Subtilis effigie illuſtrata eſt) coopertũ, aperiretur: ad videndum vbi, & quomodo oſſa, omni veneratione digna requieſcerent. Die ergo 13. menſis Ianuarij; præſentibus & inſpectantibus Illuſtriſſ. ac Reuerendiſſ. D. D. Antonio Albergati Bononiẽ. Epiſcopo Vigiliarum, ac Nũtio Apoſtolico per Tractũ Rhenanum, cum poteſtate Legati à latere; itẽ Reuerendiſſ. D. D. Othone Gereõ. Epiſcopo Cyrenenſi, & Suffraganeo Colonien. eodemmet etiam Reuerendiſſ. Pr.

Iacobo Bagnacaball. Generali; admodum Reuerendiss. P. Ioanne Pelckingio Prouinciali Ministro; & Guardiano Coloniæ ac visitatore Generali; Admodū Reuer. P. Matthæo Veglensi Prouinciali S. Bonauenturæ: admod. quoque Reuerend. P. Ludouico de Castro Prouinciali Leodiensi; RR. demum Patribus Sacrosanctæ Theologiæ Doctoribus Gerardo Romeio, &c. supradictum sepulchrum apertum est per vespiliones, subleuando lapidem iacentem ad caput sepulchri, cui inscriptum erat. *Hic aperitur sepulchrum Ioannis Duns Scoti Doctoris subtilis.* Effossâ ergo aliquantulū terrâ, inuentus est Sarcophagus ex lapide viuo, & in eodem reperta sunt pleraque ossa supradicti Doctoris valde rubea; sed quoniam hoc modo parum decenter condita, & seruata putabantur, eo quod ad caput ipsius sepulchri in lapide imposito requiescerent: hinc Præfatus Reuerendiss. P. Generalis præcepit vt euacuatâ ex sepulchro terrâ, opus concameratum sub ipso lapide construerent, vt suprà memorata ossa honestiùs, ac decentiùs pro tanti Doctoris dignitate collocari possent. Confecta est ergo arca plumbea, cui ossa arculæ ligneæ inclusa, piè sunt imposita, ac postmodum in sepulchro concamerato reuerenter collocata. Sarco-

phagus quoque ligneus præparatus est, in quo terra recondita est, quę in ante dicto sarcophago lapideo ossibus intermixta, iacuerat; idemque iu sepulchro apud ossa collocatus, assistente, & adspectante cum supradictis PP. Reuerendissi. Pr. Iacobo Bagnacaball. Ministro Generali, admirabili cum affectu, zelo, ac pietate, pro decore, ac illustratione, honore, ac gloriâ Doctoris subtilissimi, atque Religionis Seraphicæ. In quorum omnium fidem ego Fr. Gherardus Romerus Sac. Theologiæ Doctor, Notarius ad hoc à Reuerendissimo P. Generali specialiter deputatus, pręsens hoc instrumentum (saluâ semper copiâ vlterioris dilationis) confeci, vocatis ad illud idem testibus admodum R. P. Vberto Iunckmanno, Patre Prouincię, & P. Ioanne Molmano Fremoniensi.

Actum Coloniæ in Conuentu nostro, S. Fräcisci, Ann. 1619. die mẽsis vt suprà.

Fr. Iacobus Bagnacaballensis Minister Generalis, ita est.

Ego Fr. Gerardus Romerus Sacro-sanctę Theologię humilis Doctor, tanquam Notarius, vt supra attestor.

Ego Fr. Ioannes Fœlix de Brixia Ord. Min. Conu. S. Francisci secundus Secretarius fidem facio: & testor prędi-

cta

cta fuisse scripta à P. Magistro Gherardo Romero, de mandato Reuerendissimi. In veritatis testimonium, &c. die 15. Ianuarij 1619. in Conuentu S. Francisci. ]

Locus sigilli.

Plumbeum arcæ operculum intrinsecùs in membrana, osse pellucido tecta, Hæc habet. *Hic iacent ossa.* Fr. Ioannis Duns Scoti, *Doctoris Subtilis, pijssimi cultoris, & defensoris immaculatæ Conceptionis Deiparæ Virginis Mariæ: qui è terrâ effossus, & in hunc locum, terrâ, quâ plenus erat, eiectâ, lapide stratum, iussu* Reuerend. *P. Magn. Fr. Iacobi Bagnacaballensis Ord. Min. Conuentualium Ministri Generalis anno* 1619. *XIIX. Calend. Februarij* Extrinsecùs pagina inscripta hæc est: *Reuerendiss. Pr. Fr. Iacobus Bagnacaballensis Artium, & Sacræ Theologiæ Doctor, necnon vniuersi Ord. Minorum Conuentualium Minister Generalis, Anno* 1619. *dum hunc Conuentum visitat* Fr. Ioannis Duns, *Doctoris Subtilis meritò nominati, intemeratæ Conceptionis Virginis Mariæ, pijssimi Cultoris, & acerrimi propugnatoris, ossa, quæ terra immixta in diem illum vsque iacuerant, effossa humo, in loculū concameratum stratum*

*stratumq; eiusdem Reuerendiss. iussu constructū, at plumbeâ arculâ inclusa intulit XIX. Cal. Februarij* · His exactis arca plumbea conclusa est, & à quatuor lateribus, ne posset aperiri, sigillo Religionis Mino. Conuentualium munita, duobus Prouincialibus Matthæo Veglense, & Ludouico à Castro ferentibus, pręsente Reuerendissimo Patre, egregij facinoris auspice, toto Conuentu, & quam plurimis cùm doctrina, tum nobilitate pręstantibus viris, qui ad tanti Doctoris reliquias videndas, confluxerant, à Sacrario in sepulturam delata, & super asserem in medio sepulchro posita est. Nec mirum si defensor immaculatę Conceptionis, hoc tempore gloriosè exiliuit è sepulchro dum paulo ante, Anno videlicet 1617. die 12. Septembr. Paulus V. honorifico Decreto, & paulo post Gregorius XV Anno 1622. die 24. Maij, altero, non minus glorioso constituto, celeberrimi viri sententiam extulerunt, iubente primo, vt illa sola in publicis quibusque actibus, addente altero, vt etiam in secretis doceretur, proferretur, & commendaretur; & ab omnibus mysterium hoc celebraretur sub *Conceptionis* dumtaxat vocabulo: quo vel solo nomine, si non aliunde multis pręclaris titulis lau-

dari

dari mereretur, magnis effertur præconijs.

## SCOTI *Pietas, & plurimæ virtutes.*

## CAPVT XV.

TAntam horum Patrum curam circà arida Doctoris ossa, tantamque impensam opem, & opes circa eius sepulturam magnificandã, & nomen celebrandũ non tam eius doctrinæ, quàm pietati tribuerim. Suspiciunt omnes eius doctrinam, colunt alij pietatem, vtramque alij admirantur. Verè duplici titulo miræ probitatis, & summæ eruditionis omnem suæ ætatis gloriã, & posterorũ promeruit venerationem. Doctrina omnibus notissima est; pietas & virtus multis apparuit argumentis. Per omnem integerrimæ vitæ cursum nullum inuenio, qui vel minimum næuũ obiciat; inuenio tamen plurimos, qui Sanctarum virtutum splendorem mi- *Paupertas.* cantem affirment. Euangelicæ paupertatis rigidum probat sectatorem, segmentitia, & vilis lacerna, sub quâ incessisse, nudis etiam pedibus boni scribunt Authores, *a* concinitque Poëta ille vetus trito illo carmine:

*a* Marc. 2. p. l. 3. c. 17. Marian. cit.

*Quem*

*Quem vestis vilis, pes nudus, chorda coronat.*

Adde, mendici more, ad stipem hilari animo, missoq; omni honore accessisse: quod in eo, duobusq; preclaris cōsodalibus, Alexandro Alense, & Richardo de Mediauilla grauis Author, a non indignè his verbis commendat. *Constat quod in itinere, vbi non habebant cœnobia, amore Dei victū, hospitium, & transitum per Oceanum à Britanniâ in Galliam, & è contrà, petebant, in grande meritum sibi, & aliorum ædificationem. Quod viri Summo Pontificatu digni, digito demonstrati, ob eminētes suas virtutes, sic eleemosynas non sunt verecundati petere.*

a Maior in 4. d. 38. q. 11.

obedientia.

Obedientiæ religiosæ specimen dedit heroïcum, in celerrimo egressu ab vrbe Parisiensi, prompto, & expedito animo omnia relinquens, ciuitatem amplissimam, celeberrimam Academiam, cœnobium omnium grauissimum, amicos, discipulos, scripta, charos ingenij partus, Cathedræ denique regendæ non contemnendum honorem. Quis ità hęc despiciat? Quis negligat? Quis ità relinquat, nisi verus obediens, & perfectus Religiosus? Castitatem summo studio coluisse probant eius scripta, variis in locis, b & illud, quod superius exscripsimus carmen.

castitas.

*Huic humilis casto Francisci chordula renes Strinxit, &c.*

b Scot. in 4. d. 37. & d. 42. q. 2.

Peccam

Peccata magnâ curâ profligasse, & per multos annos, Deo auxiliante, à mortalibus cauisse, ex ipsis eius verbis deducunt quidam a non ineptè. Neque tamen seruili timore: sed generoso Dei amore bellum hoc indixisse peccatis, inde scimus, quod ipse preclarè scripserit b, *Non id curandum quod creatura, sed quod Deus offendatur; quod ne committatur, eligendum potius in nihilum reduci, idque propter sincerum Dei amorem non propter pœnas gehennæ fugiendas.* Nobilis sanè doctrina, & charitatis excellentissimę argumentum, velle potius non esse, quã Deo offenso superesse. Hinc ille non frigidè, aut segniter, sed diuini amoris ardore, mortales quosque pro veritate, & virtute asserendâ, ad mortem generosè obeundam, multis cohortatur rationibus.

*Studet peccata euitare.*

a Tartar. in 3. d. 15. q. 1.

b Scot. in. 4 d. 50. q. 1.

Qui tanto studio peccata vitauit, & vitanda persuasit, quanto conatu putes virtutibus acquirendis incubuisse? Mali odium virtutis subinfert amorem; & qui illud seriò profligat, istam studiosè sectatur. Ità fecisse optimum hunc Doctorem, & obtinuisse pręter antiquas inscriptiones suprà positas, in quibus, *viuus Doctor iustitiæ, dux cleri claustri lux nulli virtute secundus*, alijsque suæ probitatis, & pietatis elo-

***Eum laudāt graues Authores.***

a Gondisal. cit. sup. n. 24.

b Andr. in fine Metaph.

c Pisan. cōform. 1.

d Eyseng. 11 de testibus verit. An. 1360.

e Trith. de scriptor.

f Posseuin. appar.

g Vorilong. In 1. d. 38.

gijs insigniter audit; testātur etiam vetusti, & candidi Scriptores, ex quibus aliqui coëtanei, quos prętermittimus. Pręlatus eiusdem, & totius Ordinis Primarius Gōdisaluus *a*, *experientia, & fama vbique diuulgata*, ait sibi constitisse *de eius vitâ laudabili, & scientia excellenti*. Antonius Andreas *b* discipulus scribit *eius famam & memoriam in benedictione esse*. Pisanus *c* *probe educatum in diuino cultu & religiosis sanctitionibus*. Gulielmus Eysengrenius *d* cōmendat in *eo fidei Catholicæ professionem, & in diuina lege exercitationē*. Abbas Trithemius *e* *studiosam cœlestiū scripturarum eruditionem*. Antonius Posseuinus *f* *modestiâ, & charitate*, ait, *præditum, & hæsisse Christiano eius pectori inditam à Domino sapientiam, atque integram mentem*. Non obscurum sanè charitatis argumentum, & inditę à Domino Sapientię, proximis proficuę, illud, quod de eo refert Gulielmus Vorilongus, *g* nimirum per Britanniam maiorem, seu Angliam iter agentem, occurrisse cuidam agricolę hordeum seminanti, & Christianâ pietate, eundem fortassis iurantem, aut laboris impatientem, ęternæ salutis, & diuinę legis monuisse. Cui indignabundè rusticus vt quid frustrà verba profundis? illud persuasum, & certum

tum habeo, Dei adimplendam erga me voluntatẽ, & ęternâ pręſciẽtia iã vidiſſe, quidquid de me acturus ſit: ſi ſaluare, vel cõdemnare me ſtatuit, mea inanis eſt opera, ſiue bona, ſiue mala, neq; illa ſaluabit, neq; iſta cõdemnabit. Excepit patiẽter vir pius perniciosã doctrinã, & familiari retorſit exemplo: *Si diuina*, inquit, *ſententia, vt arbitraris, hanc neceſſitatem rebus imponit, vt quid hunc ſeminandi laborem aſſumis? Etenim ſi Deus prauidit naſciturum hordeum, ſiue ſemines, ſiue abſtineas ab opere, naſcetur; ſi verò non naſciturum prauidit, vtique non naſcetur: arenæ itaque ſemina manda.* Illum obmuteſcentem ſubinde pius Doctor inſtruxit.

Ex hâc etiam charitate, illa profluxit deuotio, quam idem Author *a* tantopere commendat, & apertiſſimè patet in eius operibus, *b* in quibus crebris ad Deũ, veri ac boni totius fontem perennẽ, inuocationibus iaculatorijs amoris, ęſtuantem alte corde flammam quiuis quantumuis rigẽs animus experiretur. Eaſdem iaculabatur flammas amoris, in nocte Christi Natiuitatis Pariſiis, *c* dum cunas Saluatoris tenerrimâ deuotione celebraret, & profũdâ meditaretur contemplatione. Nam ſuprà ſe raptus, & in ſe poſteà reuerſus, Dei erga nos

*a* In proem. 1. ſentent.

*b* in lib. de primo princip. & in Princip. Logicæ.

*c* Marc. maetian. Bert. Curatus in 1. part. eluciarij.

nos dignationem, quâ Frater noster per assũptam humanitatem fieri voluit, digne considerans, saucio corde ingeminabat illa sponsę suspiria *a*: *Quis mihi det te Fratrem meum sugentem vbera matris meæ, & inueniam te foris & deosculer te?* amatorijsque verbis petebat Christum sibi dari, non solùm tanquam Deum in animâ, sed & visibilem tanquam Fratrem, in Virginis gremio, ad vbera eius pendentem. Ad cuius feruentes, & repetitas preces ei Christus apparuit in pueri formâ, deditque se in brachia, & amplexus deuoti serui contrectandum. Disparente autem visione ad altiora se accingens, & in virtute proficiens propter deuotionem dulcissimè pueruli, & sanctissimæ Genitricis, deinceps carnibus abstinuit, nudis pedibus, abiectis etiam sandalijs incessit, & pannosa tunica, nouam admittere nolens, humilis & abiectus incessit. Eius porrò erga ipsam Dei Genitricem singularem deuotionem, testantur vbique eius opera, præsertim, quę in eius innocentiæ defensionẽ conscripsit, & eiusdem Virgines erga illum mira dignatio, quâ caput, vti diximus *b*, oranti inclinauit.

*a* Cãt. 8. v. 1 *Christũ infantem vlnis excepit.*

*b* Suprà c. 8.

Hinc aliqui inter Diuos, & Beatos pium Doctorem connumerant, quibus, donec à S. Sede hoc approbetur, nõ subscribo.

Multi

Multi etiam eum deuotè inuocant, & se in tribulationibus, atque aduersitatibus exauditos dicunt, præsertim in regno Neapolitano, qui aliquot donarijs, tabellis, laminisque magnis argenteis, quas præ manibus habui, suam gratitudinem sunt professi. Erardus Vinheim Carthusianus in Sacrario Aggrippinensi, *Diuum* vocat. Petrus Cratepolius libro de Sanctis Germaniæ, inter sanctos enumerat. Thomas Dempsterus, [a] prçterquam quod intrepidè in Beatorũ recenseat catalogo, refert ex Gilberto Bruno, Dulcicordij Abbate, Scotos eũ coluisse Dunfrisij tamquam cçlitem, & Ecclesiastico officio cohonestasse. Ego in his maturiùs, & prudentiùs agendum censeo, & expectandum S. R. E. iudicium; nec quicquam temerè intentandum in re omnium grauissimâ. Longè lateque nunc spargitur, & diuino quodã cõsilio diffũditur eius gloria, eo maximè tempore, quo famæ insidiari, & nomen obscurare quidam intentârunt. Sed *ita* [b] *fit ei, quem Rex honorare desiderat*, vt quanto maiori conatu alij detrahunt, eò sollicitiùs Deus illius cõsulat honori. Sanè illud erga Dei Genitricem impensum obsequium digno præmio non potuit defraudari: immò eodem tempore, & Virginis priuilegium à Scoto assertum

*Multi eius laudant pietatem.*

[a] Dempster. in Apolog. Scotorum.

[b] Esther. 6. v. 6.

sertum, & honor mirificè diffusus, magnum suscipiunt incrementum. Honorificauit Scotus Dei Matrem, & ab eadem vicissim honorificatur; egregiè elucidauit Deiparam; nihil absonum pijs viris videbitur, si pie dicamus vitam consecutum ęternam: iuxta illud sapientissimi viri enuntiatum: a *Qui elucidant me, vitam aeternam habebunt.*

a Eccl. 24. n. 31.

## *Eius Scripta Ecclesiæ Dei valde esse Proficua.*

### CAPVT XVI.

HIs de vitâ, & rebus pręclarè gestis diffusiùs explicatis, ad doctrinam descendo, & summè proficuam esse Dei Ecclesię, eiusque fidelibus ostendo. Altius indagandi veritatem, occasionem præbuit Scotus,, vt pote suâ dissertatione, & stricto examine fecit, ne cæco gressu, & placido ductu, omnes in vnam abirent semitam; aut in vnius, vel alterius Magistri iurarent doctrinam. Discussit ille absque delectu omnium Scholasticorum qui se pręcesserunt, sententias: neque animi affectus, sed veritatis pondus in hanc, vel illam inclinabat opinionem. Æquo ardore dome-

domesticos, & externos, vbi iudicabat redarguendos, impugnauit: tam D. Bonauenturæ, quàm D. Thomæ Aquinatis placita ad veritatis stateram reduxit. Eâ tamen animi modestiâ, & proprij iudicij submissione, vt rarissimè Authores ipsos nominauerit, & nullius sententiam grauiori affecerit censurâ. Longè aberat â quorumdam Scolasticorum cõsuetudine,[b] *qui ex opinionum, quas in Scholâ acceperunt, præiudicijs, viros alios Catholicos notis grauioribus inurunt, idque tantâ facilitate, vt meritò rideantur.* Nihil indiscussum prætcrijt Scotus, nihil non ad Lydium lapidem tentatum, & probatum, duxerat scribendum: diligenter examinauit vniuersa rerum principia, conclusiones, & ipsas, quibus probantur, rationes.

[b] Canus l. 8. de locis. c. 4.

*Rigidè examinauitque scripsit.*

Atque hâc de causâ putatur D. Thomę Antagonista, dum non solùm, quod sentit, verùm & sensus fundamentum impensiùs conuellit. Lectioni S. Thomæ magis intentus, plus ruminabat quod ex illo excipiebat; & quem faciliùs alij sequebantur, voluit plus cœteris discutiendum. Numquam Thomam exagitauit, quem in summâ habuit reuerentiâ, cuius Sanctum nomen vbique reticuit, in quem verbum nullum, quod offensionis vmbram prę se ferret,

*Quare censetur D. Thomæ aduersarius.*

ferret, effudit; sed eius doctrinam, non nisi iustis ponderibus libratam, voluit admitti. Hoc autem & Angelici Doctoris nomen gloriosius effecit, & doctrinam reddidit illustriorem. Nescio itaque quid adeò displiceat in Scoto, quod absque Aquinatis offensione, quòd absque vllo eius næuo, doctrinam reddiderit securiorem, quòd nomen extulerit, quòd discipulos ad Magistri sui dogmata clariùs illustranda, acrius defendenda, quodam veluti classico excitauerit; & vniuersos Theologiæ sectatores, constitutis alternis aciebus, ad Christianum bellum conuocauerit, in pacificâ pugna instrui docuerit, vt quid in cruentâ cum Hæreticis quotidie ineundâ faciendum sit, maturè præmeditentur; & qualiter cum vafris inimicis cõgrediendum sit, opportunè conspiciant *a*. *Qui in ipso bello trepidare noluerit, ante bellum se met exercet.*

*a* Seneca epist. 18.

*Magnifit in Academiis.*

Magnum hoc sacræ doctrinæ emolumentum esse perceperunt Ecclesiæ Doctores, & rei litterariæ præfecti. Nam tantùm abest, vt has sopire lites, aut contentiones extinguere voluerint, vt propositis potius præmijs fouere, institutis stipendijs, erectis contrariorum dogmatum cathedris, solerter excogitârint. Peculiare, habet

habet Professores, & sectatores in Academiis Doctor Angelicus, suos habet & Doctor Subtilis: ex peculiari docetur cathedrâ D. Thomæ, ex alterâ Scoti doctrina. Ad tres nobilissimas in Hispaniâ accessi Vniuersitates, Conimbricensem, Salmanticensem, complutensem; in vnaquâque harum, vidi instituta subsellia, & destinatos Magistros pro Scoti disciplinâ tradendâ. In Parisiensi item Academiâ, in Patauinâ, Ticinensi, immò & in ipsa Vrbe, orbis capite, peculiares cathedras Scotus obtinuit. Eo etiam habetur in pretio, vt dignitate, stipendio, aut horæ commoditate multis in locis non cedat eius cathedra illi, quæ S. Thomæ retinet nomen. In Conimbricensi etenim Academia æqualis sunt stipendij, & authoritatis. In Salmanticensi haud minoris emolumenti, quæ Scoti est; & magno conatu ad illam adspirant doctissimi illius Academię Magistri: in Complutensi omnium primariam Scotus obtinuit. Vltrà hæc strictè cauit Vniuersitas Salmâticensis [a] ne Scoti cathedræ Professor aliam, quàm Scoti, discipulis tradat doctrinam, neque eam summatim, aut per conclusiones dumtaxat comprehendat, sed

[a] Statuta Salmantic. c. 2. §. 4.

ferret, effudit; sed eius doctrinam, non nisi iustis ponderibus libratam, voluit admitti. Hoc autem & Angelici Doctoris nomen gloriosius effecit, & doctrinam reddidit illustriorem. Nescio itaque quid adeò displiceat in Scoto, quod absque Aquinatis offensione, quòd absque vllo eius nęuo, doctrinam reddiderit securiorem, quòd nomen extulerit, quòd discipulos ad Magistri sui dogmata clariùs illustranda, acrius defendenda, quodam veluti classico excitauerit; & vniuersos Theologiæ sectatores, constitutis alternis aciebus, ad Christianum bellum conuocauerit, in pacificâ pugna instrui docuerit, vt quid in cruentâ cum Hæreticis quotidie ineundâ faciendum sit, maturè pręmeditentur; & qualiter cum vafris inimicis cõgrediendum sit, opportunè conspiciant c. *Qui in ipso bello trepidare noluerit, ante bellum se-met exercet.*

c Seneca epist. 18.

*Magnifit in Academiis.*

Magnum hoc sacrę doctrinę emolumentum esse perceperunt Ecclesiæ Doctores, & rei litterarię pręfecti. Nam tantùm abest, vt has sopire lites, aut contentiones extinguere voluerint, vt propositis potius præmijs fouere, institutis stipendijs, erectis contrariorum dogmatum cathedris, solerter excogitârint. Peculiare habet

habet Professores, & sectatores in Academiis Doctor Angelicus, suos habet & Doctor Subtilis: ex peculiari docetur cathedrâ D. Thomæ, ex alterâ Scoti doctrina. Ad tres nobilissimas in Hispaniâ accessi Vniuersitates, Conimbricensem, Salmanticensem, complutensem; in vnaquâque harum, vidi instituta subsellia, & destinatos Magistros pro Scoti disciplinâ tradendâ. In Parisiensi item Academiâ, in Patauinâ, Ticinensi, immò & in ipsa Vrbe, orbis capite, peculiares cathedras Scotus obtinuit. Eo etiam habetur in pretio, vt dignitate, stipendio, aut horæ commoditate multis in locis non cedat eius cathedra illi, quæ S. Thomæ retinet nomen. In Conimbricensi etenim Academia equalis sunt stipendij, & authoritatis. In Salmanticensi haud minoris emolumenti, quæ Scoti est; & magno conatu ad illam adspirant doctissimi illius Academię Magistri: in Complutensi omnium primariam Scotus obtinuit. Vltrà hæc strictè cauit Vniuersitas Salmãticensis a ne Scoti cathedræ Professor aliam, quàm Scoti, discipulis tradat doctrinam, neque eam summatim, aut per conclusiones dumtaxat comprehendat, sed

a Statuta Salmantic. c. 2. §. 4.

clarè mentem eius, & textum largiùs exponat.

*Controuersia Scholastica exacuūt ingenia.*

Perceperunt vtique optimi illi Magistri, & cathedrarum institutores, magnum studiorum profectum ex Scholasticâ hâc concertatione, & quotidianâ dissertatione prouenire: quorum aliàs ingenia torpescerent, & hebesceret intellectus, si communibus dūtaxat principijs, quasi statutis Scholasticæ disciplinæ metis, cæcâ quâdam manuductione deuouerentur a. *Ferrum ferro exacuitur. & homo exacuit faciem amici sui*, conferendo, disserendo, penitiùs examinādo. Si plura obijciantur, & sententię retundantur, vti ferrum ferro confricatum, aciem concipit; ità ex aduerso docentis ingenium exercetur, excitatur, acuitur b. *Expedit itaque contrarias in studijs Ecclesiasticis esse opiniones ad exercendum ingenium, & excutiendam studentium pigritiam.* Non immeritò esse de hac ipsa Scoti doctrina scripsit Paulinus Berti c familiæ Augustinianæ vir doctus: *si à Scholis auferas peculiares Scoti opiniones, reliquum est, vt ipse planè disserendi vsus, & occasio languescat.* Hinc magnus ille purpuratus pater in rebus Ecclesiæ, quantumuis arduis, dexterè peragendis, & morum

a Prou. 27. v. 17.

b Glossa ad ord. in l. 1. Reg. c. 18.

c Berti in Episc nuncup. operū Scoti.

graui-

grauitate illustris, Dominicus Cardinalis Grimaldus *a* Scotum *pro communi litterarũ vtilitate scripsisse testatus est*. Communis profectò illa, & maxima in litteris vtilitas est, vt veritas indagetur, & inueniatur: at Scotus his præcipuis audit elogijs *b*, *Inquisitor maximus veritatis, redargutor falsitatis, veri arca c, veritatis præcipuus amator*, demum, idque appositè satis *d*: *lima veritatis & cos ingeniorum*.

*a* Grimald. ep. ad Anton. de Fãris.
*b* Verilon. in fine b. 4. sent.
*c* Rodulp. in vita Scot.
*d* Iul. Scalig. exerc. 317.

Probè hoc intellexit, & longo experimento probauit Concilium supremum Hispaniæ, quod per Antonomasiam præ tot, tantisque alijs, quibus illa florentissima regitur monarchia, *Regium* appellatur; dum Anno 1628. maturo, & grauissimo decreto sartam tectamque voluit Scoti doctrinam. Rem narro, & perpetuæ consecro memoriæ, vt posteris relinquatur exemplum, & sciant qui post nos venturi sũt quid ante ipsos à prudentissimus viris de hâc doctrinâ sit iudicatum. Grauissima & nobilissima Academia Salmaticensis, in Theologiâ præsertim Scholasticâ, nulli toto orbe secunda, propter quasdã rationes, quas neque referre neque ad trutinam reuocare modò plurimum interest (nisi illam speciosiorem solum indigitem, ad excludendas, videlicet nouas quorumdam

*Ità iudicauit supremũ Hispania Concilium.*

clarè mentem eius, & textum largiùs exponat.

*Controuersia Scholastica exacuũt ingenia.*

Perceperunt vtique optimi illi Magistri, & cathedrarum institutores, magnum studiorum profectum ex Scholasticâ hâc concertatione, & quotidianâ dissertatione prouenire: quorum aliàs ingenia torpescerent, & hebesceret intellectus, si communibus dũtaxat principijs, quasi statutis Scholasticæ disciplinæ metis, cæcâ quâdam manuductione deuouerentur *a*. *Ferrum ferro exacuitur. & homo exacuit faciem amici sui*. conferendo, disserendo, penitiùs examinãdo. Si plura obijciantur, & sententię retundantur, vti ferrum ferro confricatum, aciem concipit; ità ex aduerso docentis ingenium exercetur, excitatur, acuitur *b*. *Expedit itaque contrarias in studijs Ecclesiasticis esse opiniones ad exercendum ingenium, & excutiendam studentium pigritiam*. Non immeritò esse de hac ipsa Scoti doctrina scripsit Paulinus Berti *c* familiæ Augustinianæ vir doctus: *si à Scholis auferas peculiares Scoti opiniones, reliquum est, vt ipse planè disserendi vsus, & occasio languescat*. Hinc magnus ille purpuratus pater in rebus Ecclesiæ, quantumuis arduis, dexterè peragendis, & morum graui-

*a* Prou. 27. v. 17.

*b* Glossa ad ord. in l. 1. Reg. c. 18.

*c* Berti in Episc nuncup. operũ Scoti.

grauitate illustris, Dominicus Cardinalis Grimaldus a Scotum *pro communi litterarũ vtilitate scripsisse testatus est*. Communis profectò illa, & maxima in litteris vtilitas est, vt veritas indagetur, & inueniatur: at Scotus his præcipuis audit elogijs b, *Inquisitor maximus veritatis, redargutor falsitatis, veri arca c, veritatis præcipuus amator*, demum, idque apposite satis d: *lima veritatis & cos ingeniorum*.

a Grimald. ep. ad Anton. de Fa. ... is.
b Vorilon. in fine b. 4. sent.
c Rodulp. in vita Scot.
d Iul Scalig. exerc. 317.

Probè hoc intellexit, & longo experimento probauit Concilium supremum Hispaniæ, quod per Antonomasiam præ tot, tantisque alijs, quibus illa florentissima regitur monarchia, *Regium* appellatur; dum Anno 1628. maturo, & grauissimo decreto sartam tectamque voluit Scoti doctrinam. Rem narro, & perpetuæ consecro memoriæ, vt posteris relinquatur exemplum, & sciant qui post nos venturi sũt quid ante ipsos à prudentissimus viris de hâc doctrinâ sit iudicatum. Grauissima & nobilissima Academia Salmaticensis, in Theologiâ præsertim Scholasticâ, nulli toto orbe secunda, propter quasdã rationes, quas neque referre neque ad trutinam reuocare modò plurimum interest (nisi illam speciosiorem solum indigitem, ad excludendas, videlicet nouas quorumdam

*Ità iudicauit supremũ Hispaniæ Concilium.*

 doctri-

doctrinas, quę in florentissimas, & sua vetustate, ac soliditate commendatissimas scholas inuehebantur) cõmuni suorũ Magistrorum, & Doctorũ calculo statuit, vt sola illa, quę S. Augustini, aut D. Thomę doctrina esset, aut iudicaretur, è cathedra doceretur; liceret tamẽ si vellet, cathedræ Scoti moderatori, vt eius dogmata sequeretur. Statutum solemni iuramenti formâ fixũ, & firmũ voluerũt, eamq; die 9. mẽsis Iunij anni 1627. in hũc modũ ediderunt.

*Nouũ Salmanticensiũ statutum.*

*Iuro in quotidianis lectionibus, quas in academiâ, vel Cathedræ moderator, vel voluntarius Professor legero, me docturum, atque Lecturum in Theologiâ Scholasticâ doctrinam S. Augustini, & conclusiones D. Thomæ, quas in summâ Theologiæ docet, vbi horum Sanctorum mens aperta fuerit; vbi verò anceps, & dubia, nihil docturum, neque lecturum, quod eorũ doctrinæ aduersari senserim; sed quod vel iuxta meum sensum, vel eorum, qui discipuli SS. Augustini & Thomæ communiter censentur; tantorum Patrum doctrinæ magis conformẽ inuenerim. Excipio opinionem de immaculatæ Virginis Conceptione; & ea quæ iure Ecclesiastico immutata sunt, vel postea immutabuntur, & quæ cum olim controuersa essent, iam constitutionibus Apostolicis definita sunt. & si quando Cathedram Scoti, vel Durandi moderabor, quamuis ad id teneri nolo, licere*

*tamen mihi volo, pro eo tantum tempore probabiles eorum Doctorum opiniones sequi, absque periurij crimine.*

*Improbatur à Regio Cõcilio.*

Quia tamen, vt vniuersatis statuta suo robore consteat, & futuros constringant, debent, vel solent, à supradicto Concilio approbari, & confirmari. Dum Magistri eò recurrunt; occurrunt, qui Scoti caueant præiudicio. Concurrunt etiã & alij, qui opinandi libertatem sibi denegari dolebãt. Vehemẽtiùs verò, & acriùs se opposuerũt Minoritę, vehementi, & acri Magistrorũ conatui, donec porrectis hinc inde libellis; & causâ vtrimque dictâ coram grauissimo Senatu, deueniendum fuit ad vltimum rei examen, librandumque fuit iustũ pondus statuti confirmandi, vel potiùs irritandi. Cõclaue ingressi omnes Cõsiliarij VI. Idus Februarij simul cum Reuerendissimo D. Gabriële de Trejo, S. R. E. Cardinale dignissimo Archiepiscopo, Episcopo Malacitano, Cõcilij Pręside, summâ maturitate, & stricto examine, per octo integras fermè horas, ab octauâ scilicet ante meridiem, vsque ad quintam, vel paulò minùs pomeridianã, re discussâ, vnanimiter statuerunt, non esse confirmandum quod Academici statuebant, & volebant. Subscripsere omnes, quórum nomina recenseo: predictus Eminẽtissimus Dom. Cardinalis Pręses Ioannes de Frias, Don Ferdinãdus

Ramirez, Don Gōdisaluus Perez. Dō Frā-
ciscus de Texeda, Dō Berēgarius de Aoiz,
Don Garçias de Aro, Don Ioannes Coel-
lo, Don Ioannes Chumazero, Melchior
Molina, Don Alphonsus de Cabrera, Don
Ioannes de Chaues, Don Didacus de Cor-
ral, Don Ioannes de Frias Mexia, Dō Pe-
trus Marmolexo. Don Didacus de Con-
treras. Don Franciscus de Alarcon.

*Aliis Docto-ribus valde praeiudica-bat.* Sapientissimi, & grauissimi viri in eâdē
florentissimâ Vniuersitate enutriti, dignam
confirmationem, aut commendationem
Magni Augustini, aut Angelici Aquinatis
doctrinæ denegandam non iudicârunt,
quam omni cōmendatione præstantiorē
esse non ignorabant: neque tâmen ita
probandam duxerunt, vt cæteri omnes
Doctores optimè, & honorificentissimè
de Ecclesiâ meriti, perpetuò condemna-
rentur, & ab ijs Scholis, quæ illorum cre-
uerunt doctrinâ, æternùm exularent.
Itàne pereat Alexander Alensis, & Mag-
nus Albertus, Aquinatis Magister? Ita
exulet S. Bonauentura, Aquinatis colle-
ga? Ità dispereat Scotus, Aquinatis exer-
citator? Perpetuæ tradatur obliuioni Oc-
chamus, Nominalium antesignanus? Si-
lentio obruantur Durandus, Gabriel, &
alij quique viri sapientissimi, quorum
elucubrationibus creuit, & reuirescit sacra

Doctrina, dummodò vnus laudetur Aquinas, & eius commendetur Sũma Theologiæ? Graue hoc, & indignè ab alijs ferendum præsensit amplissimus Senatus. Quid & Hieronymus nihili fiat, qui cum Augustino aliquando pugnauit acerrimè, & & flocci pendantur alij, qui ab eius doctrinâ discedunt, dum solus audiatur Augustinus? Neque id etiam æquum reputauit prudentissimus Consessus. Ad duorum dumtaxat iudicium vniuersa moderetur cęlestis disciplina? Centeni, & milleni Authores, Orbis Magistri, Ecclesię Doctores repellantur, non audiantur, in cassum scripserint; hi duo dumtaxat è cathedris doceant? Id etiam iniuriosum iudicauit grauissimus Conuentus. Viuunt, & in æternum viuent in Scholis Augustinus, & Aquinas, etsi reliqui non moriantur. Cęteros in commmuni hominum sensu præcedunt tanquam Antesignani, id non sufficiet, nisi fuerint & soli? Cęteri omninò aberrârunt à veritate, soli Augustinus, & Thomas eam attigerunt, atque ità scripserunt, vt in omnibus, & per omnia sint sequendi? Ipsos in uoco è cęlo testes, & causę iudices, vt apertam in hac causâ proferant sententiam, & dicant an expediat ad duorũ dumtaxat iudiciũ vniuersã referre Theologiam, & proptereà verum

omnino censendum sit, quod dixerunt, quia illi dixerunt. Communis est in hac re vtriusque sententia; quam Thomas *a* ex Augustino exscripsi. *b*. *solum scriptura sacra libris, qui Canonici appellantur, didici hunc honorem deferre, vt nullum auctorem eorum in scribendo errasse aliquid firmissimè credam, alios autem ita lego, vt quantalibet Sanctitate, doctrinaq; præpolleant, non ideò verum putem quod ipsi senserunt vel scripserunt* Et alibi Augustinus *c*, suos libros non tantum credendi necessitate, sed cum iudicandi libertate legendos esse protestatur. Et nihilominus libenter homines Augustini amplectuntur doctrinam, & quod ipsius sit, putant abundanter sufficere. Certè ad Augustini sequelam non fuit aliquando necesse homines cogi, qui sponte currunt neque iurisiurandi solemnitate cauendum erat doctrinæ, quam nullus orthodoxus non acriter defendat. Vbi illi Augustini doctrinę contemptores? Vbi qui negent? Vbi qui impugnent? Ibi fortassis, vbi nihil à se rectè dictum, neque solidè scriptum putent, quod Augustini non confirmet sententia.

*a* Thom. 1. p. q. 1. art. 8

*b* August. ep. 19. paulo post mediū.

*c* August. lib. 11. cont. Faustum c. 5

*Alibi tentatum hoc ipsum, sed frustra.*

Ante aliquot annos hoc idem tentatum fuit circa Aquinatis duntaxat doctrinam, in Academia Complutensi, neque tamen obtinuerunt,

tinuerunt, qui cogitauerunt consilia, quæ non potuerunt stabilire, dum misso sub Philippo III. D. Gabriele de Cepedes olim Auditore, seu Consiliario Granatensi, nunc Magistro Scholæ Salamantinę, qui rem examinaret, & per eum plane relata in Concilijs Regio, & supremę Inquisitionis, consilium eorum, qui id attentarūt, penitus euanuit. Gloriosus, vtilis, solidus, neruosus D. Thomas, neque tamen reliqui inertes fuerunt in acie Domini, sed tanquā selectissimi pugiles, gladijs accincti, fortes perstiterūt in excubijs, custodiētes lectulum Salomonis. Legatur itaque Thomas, at legantur & alij, Alensis, Albertus, Bonauentura, Scotus, & Classici Authores. *Non omnia possumus omnes* neque quisquam fuit aut erit, qui ita scripserit, vt vniuersorum comprehenderit virtutem; iminò *nullum esse mortalium* ait Augustinus [a], *cui concessum sit hucusque. vt in nullo omnino errauerit.* Quod vnus omisit, alter supplebit; & in quo vnus errauit, alter ad veritatem pertinget. Non inaniter animaduertit Peripateticorum Princeps [b] posteriores prioribus addidisse lucem, & limam; multa correxisse, multa contulisse, vt ex omnium inuentis, ars tandem esset perfecta. Quid impedit, ne id alij post Aquinatem sint assecuti?

[a] Aug. ep. 7. ad marcel. in princ.

[b] Arist. 2. met. c. 1. & 2.

## *Scoti doctrinam summo prosequuntur odio Hæretici.*

### CAPVT XVII.

QVanto autem pretio habetur ab Orthodoxis, & in Catholicis Vniuersitatibus Scotus tato eum prosequuntur odio, qui Ecclesiam persequuntur Catholicam. Premuntur, stringuntur, coarctantur à neruosis Scoti rationibus, & subtili modo veritatis tum indagandę, tum probandæ; neque quidquam eis prosunt solitæ versutiæ, vt ab illius expediatur pressuris. Propterea dixit haud immeritò Iacobus Breullius *a* Benedictinæ familię vir doctus: *Eius memoriam numquam esse perituram, præsertim inter Scholastica sapientiæ Professores, & eruditionem, quam scriptis inseruit, Hæreticorum impietati retundendæ maximè esse opportunam.* Atque hinc Ambrosius Catharinus *b* ex Prædicatorum Ordine, audenter affirmauit, Scoti laus quanta sit in Ecclesia, & meritò soli, prauâ affecti mente non conspiciunt. Ecclesiæ dogmata firmiter comprobauit; Hæreticorum insanias egregiè refellit: hinc illis adeò infensus

*a* Breul. de antiq. Paris.

*b* Cathar. in disp. de Conc. ad Conc. Trident. part. 1

ſus, vt nullum magis lacerent, nullum acerbiùs mordeant, nec acriùs maledictis inſequantur. Perfidus ille Pſeudo-Epiſcopus, impuriſſimus Scriptor, & impudicus Centuriator, Ioannes Balæus *a*, ad vomitum vſque opprobria congerit, & calumnias, ſæuiuſque contrà Scotum agit, quem contrà Balęo ſimiles doctiùs, & neruoſiùs egiſſe conſpexit. *Papiſtarum Herculem* deriſoriè appellat; quem pro Papiſtis doctè ſcripſiſſe, & contra Hæreticos conſtanter diſputaſſe opera demonſtrant. Acerbius etiam in eundem inuehitur Ioannes Caſus *b* Oxonienſis Hęreticus, dum *ſpinam*, & *vrticam* vocat, & è Catalogo Doctorũ veterũ velit expunctum. Deinde, vt refert pius & cãdidus Author Nicolaus Sanderus, dum inuadente, & depaſcente Angliã Hęreſeos flammâ voraci, omnia ad ſuum deprauatum vſum conuertere, & impedimenta ſuæ peſtis diffundendæ remouere, artibus quibuſcumque, ſtuderent Hęretici, illam prçipuam excogitârunt, vt tolleréturè medio omnes Orthodoxi Doctores, & libri comburerentur. Ita rem narrat Author prædictus ſub Edouardo VI. impij Henrici VIII. dignâ progenie: *c* *Libros omnes eorum Magiſtrorum, qui vi, & ratione Theologiam, cæteraſque diſciplinas tradiderunt, quia iſtorum ſolida doctrina,*

*a* Balæus cét: 4. & 14. in Scoto.

*b* Caſus in ſumma Dial. lect.

*c* Sander. de Schiſm. Anglic. l. 2.

&

*& methodica institutione, Hæreticorum populares fraudes; non difficulter cerni, & dispelli sciebant, è studiosorum manibus, & ferè è Bibliothecis excutiunt; Lōbardi, Aquinatis, Scoti, cæterorumq́; doctißimorum Scholasticorum nomina, de barbarie, scripturarumq́; ignoratione, & varia deceptione traducunt, memoriamq́; quantum possunt, damnant. Deniq́; ne quidquam ad summam & impietatem, & stultitiam in hoc genere deesset, effecerunt, vt petulantes iuuenes, horum Scriptorum, tanquam iam recenter mortuorum, ingentem conquisitam struem in ludicro spectaculo per vrbem in feretro circumferrent, & demum in foro cum cantibus lugubribus concremarent. Hoc appellabant funus, seu exequias Scoti, ac Scotistarum.* Ita in omnes Scholasticos, quasi in vnum Scotum, & ita in vnū Scotum, quasi in omnes debaccharentur, insaniunt. Plus omnibus Scotus inuisus, quem præ omnibus volunt sepultum.

## *Scoti doctrinæ obijciuntur contẽtionis studium, & docendi obscuritas; sed vtrique occurritur obiectioni.*

### CAPVT XVIII.

DVo fortaſſis quibuſdam in Scoto diſpliceant, quæ iam olim Ionius, & alij eiuſdem affectionis viri obiecerunt. Primùm, quòd lites ſeuerit immortales in Scholis, aciesque inſtruxerit aduerſantium ſibi Religioſorum, quorum ſenſus vnus, & cor vnum eſſe deberet. Secundum, quòd quidquid ſcripſerit, obſcuro dicendi modo, densâque inuoluerit caligine. Verumtamen immeritò accuſatur, qui ſincero & candido animo veritatem indagauit, mente tranquillâ, & pacato corde, recondita fidei myſteria tractauit. In his explicandis ob ſuam profunditatem in varios abeunt ſenſus Doctores; neque verò cuiquam improperatur, quod ſuam aperiat ſententiam, etſi ab alijs diſſentiat. Si alius egrè ferat, quòd hic vnũ ſenſũ depromat, & proinde lites ſerat & bella; non huius, ſed illius eſt cul-

*Refellitur prima obiectio.*

est culpa, qui alteri negare velit, quod sibi licuerat. Dixit ille liberè quod sibi verius visum est; cur non& huic idipsum licebit? Quòd si liceat, licebit etiam, quia posterius dixit, sententiam eius, qui præcessit, examinare, & cum dicentibus ex aduerso disputationem inire. Disputabant cum ipso Deo serui sui, neque tamen rationes eorum dedignatus est excipere: neque tanquam litigiosos ipsos reiecit. Adnotauit hoc Augustinus contra Cresconium grammaticum, qui in semetipso condemnabat acrem dicendi modum ex principijs Dialecticę sumptum, quibus contra eundem vtebatur: *habes;* inquit [a], *& apud Isaiam Prophetam. venite, disputemus, dicit Dominus, & multis alijs diuinarum Scripturarum locis. Lege vbi inueneris hoc verbum, & inspice Codices Græcos; in eisdem testimonijs sanctarum Scripturarum, & videbis vnde sit appellata Dialectica; ne quod omnes iusti cum Deo faciunt, quibus dictum est, Venite, disputemus; dicit Dominus, Non innitaris sapienti pietate, sed insulsâ temeritate crimineris.*

a August. l. 1. contra Crescon. c. 14.

Plurimorum hæc consuetudo est, vt dum non possunt rectè argumentantem, & solidè redarguentem ratione refellere, statim confugiant ad calumnias, & do-

ctum

ctum disputatorem, litium satorem confestim appellent *a*. *Qui enim veritati non acquiescunt, onerosè ac molestè ferunt eos; qui secum sedulo agunt, nec ab eorum conuincendo errore dissimulant, litigiosos, & contentiosos vocant. Falsitas enim, quæ nudari & redargui metuit, eorum vitiorum nomine, quæ veritas damnat, diligentiam veritatis accusat.* Magna sanè est inter litigiosum & Christianè disputantem differentia: litigiosus enim verbis contendit, & non curat *b*: *Quomodo error veritate vincatur, sed quomodo sua dicta dictioni alterius præferantur. Porro qui non verbis contendit, siue submisse, siue temperatè siue granditer dicat, id verbis agit, vt veritas pateat, veritas placeat, veritas moueat.* Perquisiuit itaq; Scotus veritatē, & plures aliorum sententias examinauit; vt in verâ quiesceret, iuxtà illud Domini consilium: *c Interrogate semitas Dei. quæ via est bona, & ambulate in eâ.* Quod ita Sanctus Zenon explicuit *d*: *Multæ viæ interrogandæ sunt, & in multis insistendum est, vt vnam, quæ bona est, inueniamus. per multorum scilicet doctrinam.* Subijcio de Scoti studio veritatis indagandæ, mente pacatâ, à contentionibus alienâ, vnius Paulini Berti Augustinia-

*a* Ibid. c. 13.

*b* Idem lib. 4. de doctr. Christ. c. 28.

*c* Ierem. 6. v. 16.

*d* Zenon in Psalm. 117.

ni teſtimonium *a. Nam cum Ioannes Scotus*, inquit, *inueſtigandæ veritatis ſtudio mentis aciem paulò altius, quam alij intenderet, nouas rationes, & argumenta inuenit, peculiares difficultates excogitauit, alias opiniones præter communem diſſertiſſimè tuetur, & aliorum dicta, atque rationes ſubindè carpit. Hæc ferè omnia diſputationis gratiâ, vt inde veritatis amatores, & diſſerendi periti haberent, in quo feliciſſimè exercerentur.*

*Refellitur 2. obiectio.*

Obſcurum autem eſſe, quod ſecundo loco obijciebatur, dupliciter poteſt accidere *a, Vel quia de induſtria ita quis loquatur, vt non intelligatur, vt Heraclitus, cognomento* Σκοτεινὸς *perhibet, quia de naturâ nimis obſcurè memorauit: aut cum rerum obſcuritas, non verborum facit, vt non intelligatur oratio: qualis in Timæo Platonis.* Scotus ſtylum & methodum adaptauit profundiſſimis, quę diſcutiebat, arcanis. Per vniuerſam Theologiam, & Metaphyſicam, in naturalibus, & ſupernaturalibus ſcientijs, ſubtilia excogitauit argumenta, nouas adinuenit quæſtiones, abſcondita detexit myſteria; quare ſublimia rerum principia ſubtiliter ſpeculatus, nihil mirum ſi terreni ſenſus obtutum, velut inter nubes Aqui-

*a* Cicero l. 2 de fin. bono & malo.

la,

la, superuolârit, humi repentibus obscuris, quibus id dumtaxat uerum est, & clarum, quod manibus palpant, aut sensuum rudi contactu exercent. In profunditatem my-steriorum obscuritatem operis reijcit Tri-themius, *a* dicens, *Doctissimus Scotus, & adeo profundus, vt eius scripta paucis sint penetrabilia*. Et Antonius Contarenus *b* Patriarcha Aquileiensis: *Scripta eius re-conditissimos sensus habent* Hâc etiã ratione obscurus multis in locis Augustinus, obscu-rus Aristoteles, obscurus Plato, obscurus & ipse Paulus Apostolus, in cuius Episto-lis dixit S. Petrus *c quædam esse difficilia in-tellectu, quæ indocti, & instabiles deprauant.* Quod de illâ quam scripsit ad Romanos, potissimum intelligunt interpretes, in quâ vocatio Gentium, reprobatio Iudęorum, altissima diuinę Prędestinationis, & ele-ctionis mysteria, non ex humano sensu tractauit Apostolus, Dei Spiritu inflatus, ad mysterij, & quæstionis obscuritatem suspensus atque exclamans *d altitudi-nem diuitiarum scientiæ, & sapientiæ Dei, incomprehensilia iudicia, atque inuesti-gabiles vias eius.*

a Trithem. de Scriptor.
b Contar. ep. ad Taruis.
c Petr. ep. 2. 3. n. 16.
d Roma. xi v. 16.

Quid itaq; condemnandus Scotus qui pro-fũda Dei scrutatus est arcana, propterea quia non cõplanauit, quę alij arduo nõ possũt

ſtudio percipere ? propterea iudicandus obſcurus, quia obſcura ponderoſè tractauit, & quia puerili obuia non fecit ingenio? Quidam ſunt delicatuli, qui abſque vllo labore omnia ſibi vellent peruia, & dum altiſſima non percipiunt myſteria, non hoc ſuo imputant imbecilli ingenio? ſed docentem facilè obſcuritatis incuſant. Iniquos & ineptos hos iudices aptè redarguit Iudas Apoſtolus *a*: *Quæcumque quidem*, inquit, *ignorant, blaſphemant; quæcumque autem naturaliter, tanquam muta animalia nôrunt, in his corrumpuntur. Hi sũt murmuratores queruloſi, ſecundum deſideria ſua ambulantes, & os eorum loquitur ſuperbiam, mirantes perſonas quaſtûs gratia.* Eoſdem ſimili affecit cenſurâ D. Cyrillus Alexandrinus *b*: *Fatuis ſanè conſuetudo hæc eſt, ſemper enim ſublimiori doctrinæ, quã ipſi non intelligunt, detrahere ſolent, cunque attendere magis deberent, & ſubtilitate rerum eleuari, contrà deijciuntur, durum appellant ſermonen, quem admirari deberent. Non aliter igitur, quàm edentuli ſoleant, molliora enim èligunt elementa, etiamſi peiora ſint; ſolidiora verò, ac meliora edulia magnopere vituperant, ægrotationem ſuam celare ſtudentes, mentis quoque acumine priuati ſcientiam abhorrere ſolẽt quæ magno ſtudio*

*a* Iud. in canon. v. 10.

*b* Cyrill. in Ioan. lib. 1. c. 61.

*studio, magnaq; operâ esset conquirenda.*

## *Scoti Doctrina multorum commendatur Elogijs.*

### CAPVT XIX.

COnfirmant hæc, elogia variorum Authorum, quæ profunditatem, & subtilitatem in eius operibus, commendant, & multis ti tulis illustrem eius volunt doctrinam. Plura opportunè suis locis dedimus superiùs; alia hîc libet subnectere. Ioãnes de Ragusio *a*, vir doctus, Prædicatorię familię, in oratione, quam habuit in Concilio Basiliensi, de communione sub vtrâque specie, & habetur ad calcem eiusdem Concilij: Scotus, inquit, *præ altitudine & subtilitate doctrinæ antonomasticè nomen* Doctoris Subtilis *in Scholis obtinuit* &c. Sanctus Antoninus *b* eiusdem instituti: Ioannes Scotus, *qui scripsit super sẽtentias, multa subtilia, vnde & dicitur* Doctor Subtilis, Guillielmus Ocham *c*, etsi Scoti sui Magistri antagonista: ista *opinio est, vt credo, opinio* Doctoris Subtilis, *qui alios in subtilitate ingenij excellebat.* Antonius Andręas *d* per omnia optimus eiusdem

*a* Ragus in Con. Basil.

*b* Anton. tit. 14. c. 7. §. 11.

*c* Ocham in 1. d. 2, q. 6.

*d* And. in fine Metaph.

Scoti discipulus: : *subtilissimus & excellentissimus* Doctor Astensis *a*, & Nurembergensis *b*, *famosissimus, & subtilissimus*. Henricus Willot *c Tales sua subtilitatis riuos profudit*, vt Doctoris Subtilis *nomen calculo omnium, sibi congruentissimum inuenerit. Nihil erat vel tam difficile, vel tam densâ caligine inuolutum quod illius viuax, & perspicax ingenium non penetraret: nihil adeò distortum, & nodosum, quod non dissolueret, &c. Hic, vt Apollonius alter discipulos ex omni climate ad se trahit, fecitq; vt nihil ad hæc vsq; nostra tempora aliud Theologica Gymnasia præter Scoti nomen personarent; sibiq; egregiè beatus quisq; videatur, qui eo duce vtitur, & sacra Theologiæ adyta illo Mercurio preeunte ingreditur.*

a in 1. par. summæ.

b Nurember. citat.

c Willot citat.

Paulus Scriptor *d*, Author vetustus & doctus, dum ageret de ijs, qui Theologiam suis elucubrationibus illustrârunt; *inter quos*, inquit, *salua pace omnium vnum alijs pluribus præstantiorem* Ioannem Duns *natione Scotum intueor, qui prædicta omnia, tã claré, tã luculẽter, tã subtiliter enodauit, vt merito omnibus admirãdus, omnibus venerãdus, & omnib9 sit studio, & charitate amplectendus: cuius sententiæ sunt profundæ, & vt patebit, propositiones fœcundæ, in tantum, vt vnius propositionis fœcunditas, frequen-*

d Paul in 1. proleg. sent.

*ter decem vel viginti alias subtiles veras. & vtiles propositiones includat.* Vorilongus a Doctor antiquus, Scotus, *honor studij Parisiensis mentes suspensas faciens præ stupore, cuius dicta communem transcendunt facultatem.* Idem alibi ipsum alloquens Scotum b: *in tanta vniuersitate.* ( Parisiensi scilicet) *intrâ scientiâ plenus eras, vt Doctoris Subtilis nomen retineres, cuius doctrinam, cuius opus nullus error maculauit. Deuotione cõsopitus præcipuâ scribebas: dũ nẽpe tuã Logicam incipiebas ita dicebas.* O Deus, qui es terminus sine termino, da mihi beneloqui de termino, *& sæpius tuo in libro, quem* de primo principio *intitulasti, talibus solitus es fari sermonibus.* O Domine Deus noster, qui Venerabilem Augustinum &c. *in te multa deuotione referto, completum est id, quod Homerus de Nestore, iam vetulo, solitus erat dicere.* Ex cuius ore melle dulcior fluebat oratio.

a Vorilog. in fine sentent.

b Idem in princip. 2. sent.

Mauritius Hibernicus c Archiepiscopus Tuamensis: *Eleuabitur Aquila, in arduis ponet nidum suum.* Quod de Scoto exponit: *Nullas ad naturæ lumina secreta renelanda altius volauit, mentisque aciem firmius affixit, ibi posuit nidum suum; id est, quietem contemplationis, viæ, scribendo, & patria perfruendo,* Sabellicus.

c Mauriti. in pag prælim l. 1. sentent.

Nemo

a Sabel. l. 7. exempl. c. 4.
b Idem l. 1. c. 5.

a *Nemo subtiliùs diuinas tractauit litteras.* Et alibi b agens de pręcipuis Theologię Scholasticę Magistris, ait: *Vt vel solâ appellatione sint abundè noti, Seraphici, Angelici, Subtiles, Irrefragabiles titulo, praclarißimi viri, Bonauentura, Thomas,* Ioannes Duns Scotus, *& Alexander Alensis, inter quos Scotus ipse splendidè promicat.*

c Corius de rebus mediol. part. 2. ad ann. 1305
d Cardon. l. 16.
e Audec in sacris poëmat.

Bernardinus Corius c: *Florebat his diebus Fr. Ioannes Scotus, cognominatus Doctor Subtilis, tanquam huius saculi phœnix, inter eos qui Christianam fidem illuminant.* Cardanus d. dubitat quis subtiliùs, Aristoteles scripserit, an Scotus? Nicolaus Audec e Carmelita: *altiùs* Scoto *nemo vel doctiùs vno, dogmata sacra docet.* Eiusdem instituti alter vir notissimus Baptista Mantuanus f pręclara cum laude donat, dicens:

f Mantuan. in fastis.

*Si fas est homini Deum teneri,*
*Scoto Religio, Deusq; debent.*

g Eysengr. citat.

Gullielmus Eysengrenius g: *vir omni litteraturâ doctißimus, fide Catholicus, in lege Dei exercitatißimus, atque in Scripturis absolutissimus* Gerardus Mercator h. *Nihil est quod non potuisset superare ingenium Ioannis Duns Scoti, si tempora modo cultum animi elegantiorem ei non inuidissent. Nunc in Scholastico illo (curiosone, an vtili) de rebus sacris disputandi genere, nihil eo acutiùs,*

h Mercator in Atlante tabula 1. de Scotiâ.

*nihil accuratius. nihil absolutius.*

Aliud etsi aliquando, diffusius, luculentius tamen pij viri Ioannis Eckij a de rarâ Scoti subtilitate adiungo testimonium. Is in suo opere, quod *hypomnasus* inscripsit, pluribus in locis Scotum laudat; sed potissimum, Centuriâ secundâ, in Appendice, vbi loquens de Magistro Heruæo, ita ait: (is est Heruęus ex familia S. Dominici, Doctor illuminatus, (at Lazarus Soardus cognomen *subtilis* ei tribuit) qui cum Ioanne Duns Scoto, vero cognomine Doctore Subtili, apud Agrippinam Coloniam, nobilissimam Germaniæ Academiā, publicitùs de sūmis Theologię apicibus magnâ cum laude disputasse fertur. Verùm palmam Scotum tulisse aiunt, in eo articulo, qui de immaculata Virginis Cōceptione, fortasse tūc in controuersiā venit. E regione verò Heruęū insigniter contra formalitates Scoti dimicasse; vti hodie Colonienses submurmurant: subtilitates Heruęi destruxerunt formalitates Scoti. Statim post hoc debitum naturæ persoluit Scotus Coloniæ apud Chordigeros sepultus, Anno gratię 1308. VI. Idus Nouembris. Quò anno inuicta Alpestrium Heluetiorum in superiori Germania, multis Nobilibus, & Principibus exitiosa

a Centur. 2.

exitiosa confæderatio, & liga initium sumpsit, sed vtcumque sit, exploratum est nasuto, & docto Lectori, Heruęum fuisse virum doctum, acri ingenio, & subtili: attamen Ioannem Scotum multis subsellijs ei preferendū: &c. Andreas Vega *a*, vir omnium calculo eruditus: *tanta est mihi pietas in* Doctorem Subtilem, *tamque piam habeo opinionem de illius felicißimo ingenio & Catholico, & omnino singulari, & præcellenti doctrina, vt neque illis argumentis adduci poßim, &c.* Iacobinus Bargius *b*. *Quoniam, Deo Duce, pro vtilitate eorum, qui insequi volunt sanctam, profundam, & ineffabilem doctrinam* Doctoris Subtilis, Ioannis Scoti, *sum declaraturus, & expositurus eiusdem irreprehensibilis Doctoris primum librum super sententias* Leonardus Lessius *c* in Approbatione operum Scoti editionis postremę Antuerpiensis, eum vocat *cotem ingeniorum, & limam subtilioris Theologiæ, ac Philosophiæ, quæ in Scholis, & eruditis disputationibus maximè triumphare consueuit.*

*a* Vega de iustific. q. 11

*b* Bargius in princ. comment. ad 1. sentent.

*c* Lessius in limine operum Scoti.

Claudemus hæc testimonio Constātini Sarnani *d* S. R. E. Cardinalis qui dum de vetustis Doctoribus Scholasticis sermonem instituit, ita subiunxit. [inter quos Ioānes

*d* Sarnan. in ep. prælimin. operū Ant Andreæ.

nes DunsScotus velut sol lucidissimũ inter radiantia sydera astrum, acerrimo ingenij acumine, subtilitate, ac profũditate abditæ & miræ reconditæ doctrinæ præ cæteris omnibus subtilissimus Doctor coruscat; nemini, mea quidem sententiâ, qui in hoc scientiæ genere vlla ætate floruerit, secundus. Cuius ingenij monumẽta (quæ non sine maxima Doctorum hominum admiratione diligentissimè legũtur,) cũ & doctrinæ genere, & subtilitate eiusmodi sint, vt optima quæque ingenia exerceant, excitent, acuantq́ue ad sublimiorem quandã diuinarũ rerum cognitionem; mirandum nõ est grauissimos viros in ea sentẽtia fuisse, vt dicerent, Scotũm vnum, non solũm coæuos suos, sed & priorũ, posteriorũq́ue seculorũ summos Theologos ingenij magnitudine, doctrineque sublimitate sine controuersia superasse. Fuit Subtilis hic Doctor, nobilissimę Scoticæ sectę Author, & dux longè clarissimus; quę doctrinam suam complexa constanter docet, defẽdit, amplificat, & vbique sic diffundit, vt iam per vniuersum Orbẽ dissemina ta, nulla eâ sit illustrior. Ex hac secta tanquã ex equo Traiano plurimi postmodũ prodierũt illius sciencię laudatissimi principes, quorũ & in dicendo labor innumera doctis viris incom-

incommoda attulit, & in scribendo industria sacram Theologorũ scholam ita exornauit, auxitque, maiorem vt eruditionis accessionem videatur non posse recipere. ] Cardinalis alter Illustrissimus & doctissimus, Stanislaus Hosius, in Confutatione Prolegomenon Brentij, dum valorem missæ contra perditum hominem probat, enumeratis alijs magnis Doctoribus, qui de hac controuersia tractãt, vnius Scoti testimoniũ sibi sufficere ait: *Quauis, inquit, multi sint, qui tractent quæstionem hanc*, vtrum Sacerdotis mali missa tantũdem valeant, quantum boni? ( *tractant enim eam Thomas de Aquino, & Præceptor eius Albertus, Bonauentura, Ioannes Gerson, Gabriel Biel, & alij nonnulli:*) *nos tamen vel vnius* Ioannis Scoti *testimonio contenti erimus; & eius verba paucis adscribemus:* Missa, *inquit, ille* non solum valet, &c. Quę verba desumpsit ex quodlibeto 20. in quo egregiè rem hanc Scotus pertractat. Videri etiam potest Ioannes Picus Mirandulanus, Epistola ad Hermolaum Barbarum.

Scoti

## *Scoti discipuli.*

### CAPVT XX.

REliquum est, vt tanti Magistri discipulos enumeremus. & quem fecit arbor bona, fructum bonum ostendamus. Prodierūt ex sapiētissimi Doctoris Scholâ plurimj aliorum Magistri, qui Religiogionem, & vniuersam Ecclesiam suis Scriptis egregiè illustrarunt. Ioannes Bassolius, quem tanti fecit Scotus, atque in eâ habuit æstimatione, vt hoc solo pręsente sufficiens adesse diceret auditorium. *a* Errat itaque Posseuinus dum sub Annum 1466. vixisse dicit, Guillielmum Eysengrenium secutus. Habentur in aliquot Gallię Bibliothecis eius opera MSS. in quorum fine admonetur ea ab ipso perfecta Rhemis Anno 1343. Omniū, qui tum fuêre, doctissimum, oratorem facundū, & Theologorum nulli secundum dicit Eysēgrenius. Cuias fuerit Bassolius, non inuenio, qui dicat, epitheto *ordinatissimi Doctoris*, pro illius temporis ratione, quo illustrioribus viris agnomina affigebantur, ex optimo ordine, & clarâ methodo, gaudet inter antiquos Theologos.

*Ioannes Bassolius.*
*a* Rada tom. 1. cōtrou. 4

Secundus

*Antonius Andreas Franciscus Mayronis.*

Secundus, Antonius Andreas ex prouinciâ Aragoniæ, fidelissimus per omnia sui Magistri sectator *Doctor dulcifluus* nũcupatus. Tertius Franciscus Mayronius, cognomento *Doctor illuminatus* prouinciæ S. Ludouici in Gallia: celeberrimum actum Sorbonicum instituit (vt suoloco diximus *a*, & plurima reliquit sui ingenij monumenta, in quibus crebrò gratâ animi recordatione, sui Magistri reminiscitur.

*a* In Annal. Anno. 1323. n. 24.

*Aluarus Pelagij.*

Quartus, Aluarus Pelagij Hispanus ex Gallecia, vti ex quibusdam monumentis Pontificijs dispensantibus circa quendam defectum natalium, elicio; vulgo *Aluaro Paio* siue *de S. Paio* prouinciæ tamen. S. Francisci alumnus: licet Matthæus Ferchius eũ putet ex hoc numero Scoti discipulorũ expungendũ: quia receptus est, inquit, Anno 1305. ad Ordinem, ipso teste lib. 2. de planctu Ecclesiæ. c. 33. & Pisis fuisse constat Anno 1306. vnde Scotum in Gallijs Florentem audire non poterat, nec ante Ordinis ingressum audiuit, qui Bononiæ sub Archidacono Iurisprudentiæ addi cẽdæ operam dedit. Cùm tamen omnes Scoti discipulum fuisse conspirent, non audere ref agari, prẹsertim cum ipse nihil amplius dicat, quam se à Gondisaluo Generali Ministro admissum ad Ordinem

Ordinem Assisij, id autem nos verisimilius contigisse diximus in Capitulo generali celebrato Assisij; in quo electus est in Ministrum Generalem prædictus Gondisaluus, Anno 1304. Expleto autem tyrocinio in prouincia S. Francisci, vbi ipse se nouitium fuisse alibi *b* testatur, transmitti potuit Lutetiam: vti tunc moris erat maioris expectationis Fratres illuc destinare, neque diu hæsisse Pisis nobis vllatenus constat. Scotus autem non nisi sub illud tempus (*c* vti alias præmonuimus) floruit Parisijs. Lutetiæ vero per aliquod tempus fuisse Aluarum, multis in locis sui operis ipse demonstrat *d*. Audiuisse ergo potuit Scotum per vnum, aut alterum annum: non tamen eum in omnibus sequitur: vt videre licet in loco proximè citato. Quintus Ioannes Canonicus; siue Canon, alias Marbres, vti habet Willotus: citat sępius Scotum, & coætaneos suos Franciscum de Marchia, Petrum Aureolum, Landulphum Neapolitanũ, Gerardum de Odonis, Gualterum Burleum. Sextus Gualterus Burlæus Anglus, sui Præceptoris acerrimus impugnator, quem 62. annum agentem claruisse, & aliqua adhuc scripsisse memorat Lelandus apud Pitseum.

*a* in Annal. Anno 1304. nu. 13.

*b* Aluar. l. 2. de planct. Eccl. c. 52. errore 5. Begardor.

*c* Supra n. 15.

*d* Aluar. cit. errore 1. & alibi passim.

*Ioannes Canonicus.*

Septimus

a Poss. de scriptor. ad Ann. 1337 Francisc. de Marchia b Ferchius cit. Landul. neapolit Guliel. Occham.

a Septimus Franciscus de Marchia, quem ex cognomine Picentem credit non immerito Posseuinus, & ex Fragmentis à Canonico relatis, egregiè subtilem reputat Ferchius b, & Scoti discipulis annumerat. Octauus Landulphus Caracciolus Neapolitanus, vir doctissimus, sanguinis claritate, dignitate Archiepiscopali, & præclaris functionibus sub Regibus Parthenopæis notissimus. Eius comentaria in Euangelia habentur MSS. in sacro Conuētu Assisiate. Nonus Gulielmus Occham, quem immeritò Hibernū facit Volaterranus c vt alias ostendi d, Magistri sui antagonista acerrimus, Nominalium antesignanus cōmuniter appellatur; non quod eam sectam inceperit, quam S. Bonauentura e, pluribus ante eum annis, refellit; sed quod magnopere illustrauerit, doctis etiam principijs consolidauerit. His adnumeratur Ioannes de Ianduno, Aueroistarum fere præcipuus, plerumque à Magistri placitis desciscens. Peccauit vterque, non tam in suum Magistrum, eius doctrinam impugnando, quam temerè nimis in vniuersalem Ecclesiæ præceptorē Ioannem XXII. insurgendo. Pænituisse tamen vtrumque sui erroris alias ostendi f: sed & Occhamum in Hibernia tanquam Sanctum

c Volater. in Antropol. l. 21.
d in Annal. Ann. 1313. num. 15.
e Bonau. in 1. d. 41. q. vlt. & in 3 d. 24. q. 3 Ioan. de Ianduno.
f In Annal. Ann. 1347. n. 19.

Sanctum coli scripsit Volaterranus veróne, fundamento, an falso rumore, nescio. Vndecimus Hugo de Nouocastro Anglicus, quem Scoti discipulum, & strenuum defensorem faciunt Willotus, & Pitsæus; etsi hic in recensu scriptorum cum Scoto pręponat. Petrum Aureolum his attexuerũt alij, sed æmulum potiùs, quam discipulum alij appellarunt. *Hugo de Nouocastro.* *Petrus Aureolus.*

Omnes hi, pręter alios minùs notos, doctissimi euaserunt Magistri, multosque ediderunt in Theologiam, & sacrã Sripturam commentarios. Bonus Magister bonos creauit discipulos, & exundante suæ sapientiæ fonte, præclarè, abundeque aliorum irrigauit ingenia. Bona sors, bonum obtinere Magistrum: hæret enim bona disciplina, & apud bonum præceptorem, vel assiduè sedere profectò iuuat; quotidie aliquid boni feret discipulus, aut melior domum redibit *a. Qui in solem venit, licet non in hoc venerit, colorabitur; qui in vnguentariâ tabernâ resederunt, aut paulò diutius commorati sunt, odorem secum loci ferunt: & qui apud Philosophum fuerunt, traxerint aliquid necesse est, quod prodesset etiam negligentibus.* Solem appellauerunt alij Scotum, vti paulò antea diximus. Illuminauit, fouit, calefecit ad se *a Seneca ep. 108.*

I veniens.

ſe venientes, excitauit, & accendit diſcipulorum animos ad veritatis ſtudium, ita vt omnes arderent, omnes lucerent, & videretur inter diſcipulos Scotus quaſi ſol inter aſtra. Ille profectò lumen ampliſſimè in omnes diffudit; ſed & illi abundè exceperunt, neque tamen inaniter, aut ingratè; abſque inuidia enim, & liberaliter communicarunt quod hauſerunt. Non ex illorum numero facti ſunt a, *qui admodum illorum, qui dum ignem petunt à vicino, deinde luculento illic reperto foco deſident manentque: ita ſi ſemper aſſident præceptori, nec accendunt ingenium ſuum, vt domi ſuo fruantur igne.* Sublato namque hoc iubare, & extructo igne tanti Magiſtri, ipſi lucere, & ardere viſi ſunt, quorum fulgor ad Solis conſpectum prius abſorberi viſus eſt. Mirum ſane quomodo adeò paucis annis tot potuit inſignes creare diſcipulos, qui aliorum non contemnendi euaſerunt Magiſtri. Neque ſcio, an fuerit ex Theologiæ Principibus, qui ita glorioſè refulſerit in ſuis auditoribus.

a Plutarc. in moral.

Omnes hi auditores, ſed non per omnia ſectatores, plures enim, non paucas Scoti ſententias impugnarunt; alij per omnia fermè ſe ei oppoſuerunt. Hoc autem non oppo-

opponendi studio, sed veritatis indagandæ ardori tribuit. Mauritius Hibernicus, ita scribens de Occhamo a: *forte*, inquit, *non in vituperium Doctoris, quem suum, & Religionis, & subtilem plerumq; nominat, scripsit: sed rigore Minorum, qui nemini parcunt, syntersi & conscientiæ, sibi appropriatis moti.* Familiarem, & ingenitam dixeris huius sodalitij viris libertatem, & facilitatem suis obsistendi, vel quòd veritatem liberè quærant, vel quòd nolint videri suis per omnia applausisse. Placet in veritatis inquisitione animus ab omni affectione liber; procul sit amicorum studium, & Magistrorum amor, vt facilius appareat veritas, quæ omnium præferenda est dilectioni. Si tamen hæc cohærere possunt, vt illa vigeat, & ista maneat indemnis, habenda est ratio præcipua Magistrorum. Illis suus maneat honos, per quos ipsam, quam venamur, gloriam sumus assecuti. Turpe est vt quæ accepi, in eum à quo accepi, arma conuertam. Occhamus, & Iandunus plus cæteris Scoti doctrinam labefactare conati sunt. Sed cõtra illorũ cęterorũque aduersariorũ studiũ incõcussa permansit: neque fuit hucusque, qui solidissima eius principia destruere,

a Mauritius in c. 4. lib. de 1. princ. Minoritis familiare est veritatis studium.

aut firma fundamenta posset conuellere.

*Scotus præcipuus Ordinis Magister.* Ab ipso fermè obitu cępit haberi in honore per vniuersum sodalitum, & eius Doctrina placere: eam tradiderunt alijs discipuli, & ab his ad posteros transiuit. Ab vno & altero sæculo in disciplina Scholastica ab vniuersis Minoritis habetur pro Antesignano, & communi Magistro: & in aliquot Comitijs generalibus statutum est, vt Lectores omnes & Magistri, tam in cursu Philosophico, quam Theologico, eius sententiam sequantur. Mirum est quomodo omnium insederit cordibus ipse Doctor, & eius Doctrina toti placuerit sodalitio, vt neglectis celeberrimis Theologiæ Principibus Alexandro Alensi irrefragabili Doctore, & Seraphico S. Bonauenturâ, quorum Doctrina tantopere commendata est ab Ecclesia, vnum Scotum sibi pręfixerit, cuius disciplina imbuendi essent vniuersi fratres, in omnem terram fidem Christi disseminaturi. Quo verò tempore ita primùm statuerint Ordinis Rectores, non omninò constat; video tamen Occhamum eum indigitare præclaro illo agnomine *Ordinis Doctor*; & Antonium Andream pro re magna reputasse, si eius doctrinam tam Metaphysicam, quam Theologicam clariori, & breuiori

breuiori compendio Ordini tradidisset, in quam probabiliter iam omnes inclinabant. Vterque verò cùm fuerit Scoti discipulus, & paucis post eius mortem annis scripserit, facile iudicandum est, & virum omnibus placuisse, & post mortem eius scripta valde doctis arrisisse.

Scoti porrò, tanquam Scholastici exercitus Imperatoris, nomen & ęstimationem tanti faciunt vniuersi consodales, vt nihil suprà, & ad minimam eius offensionem commoueantur, & in calumniatorem insurgant, neque à scribendo desistant, donec læsum honorem instaurent. Vilis quippe nota est, probrosum habere Magistrum. Hinc tot Apologię pro Scoti famæ indemnitate scriptę, vt solus Mattheus Ferchius Veglensis Dalmata Ordin. Min. Conuent. noster amicus, vir grauis, & solidè doctus, tres ediderit, primam contra Fredericum Matenesium, secundam contra Abrahamum Bzouium Polonum, tertiam in Paulum Iouium Nouocomensem. Aliam scripsit Illustrissimus. D. Hugo Cauellus Archiepiscopus Armacanus, Hiberniæ Primas ex Ordine Minorum Regularis obseruantię assumptus, in eundem Abrahamum Bzouium; alteram eius discipulus Hugo Magnesius eiusdem, Ordinis

& nationis, in Nicolaum Ianſeniū Bzouij, cōſodalē, & defēſorem Ioannes Stōmelius Colonienſis Minorita Cōuentualis doctè, pro roſtris declamauit; necnon vir clariſſimus, & profeſſor eloquentiæ apud Louanienſes Nicolaus Vernulæus, oſtendens & palam demonſtrans, Scotum, *ſupra inuiatam eſſe*. Optimè, ſolidè, & neruoſè pro eodem decertauit Autor Nitelę Franciſcanę Religionis, Hibernus in principio ſui operis. Scoti vitā Scripſerunt Paulinus Berti Auguſtinianus, Petrus Rodulphus; ſed breuiùs minùſque exactè quam oportebat: grauiùs verò, largiùs, & doctiùs Ferchius prę nominatus, vterque Ordinis Minorum Conuentualium. Ex obſeruantibus Marianus Florētinus, Ludouicus à Manganella, Illuſtriſſimus Cauellus largiſſimè, ad principium ſcripti Oxonien. Marcus Vlyſſiponenſis 2. parte Chronicorum, Gregorius Ruiz in limine Commentariorum in lib. 4. ſententiārum, Ioannes à Pola in principio operis in primum.

*Quinam eius vitam ſcripſerunt*

## *Epilogus.*

HÆc diffuſius in Scoti commendationē, & defenſionem diximus, ne pericli-

tanti

tanti Famæ tanti Doctoris deesse videremur. Inglorium volunt æmuli, quem gloriæ suæ authorem deprędicant Franciscani; quotidianis calumnijs expetunt; quem hi perpetuis laudibus prosequuntur; & obscurare conantur virum, cuius doctrinâ vniuersus Ordo clarescit. Aliorum facta breuius ego licet perstringam, licet indulgentius calumniatoribus obsistam: pro Scoto tamen viriliùs pugnandum, acriùs decertandum, neruosiùs scribendum duco; in cuius nomine tota periclitatur Religio. Hoc vno gloriatur Magistro; huius indefessè sectandam sibi proposuit disciplinam: quid fiat, si hæc eliminetur? Si ille non audiat gloriosè? perit cum filio parentis honos, & cum matris gloria immensæ prolis honorificentia. Non licet communis Magistri, & totius Ordinis famam contemnere. Ille consodalibus doctrinam tradidit; illi per Orbis plenitudinē diffundunt; si calumnijs denigratam, si detractionibus obscuram, quid superest, nisi vt pusilli scandalizentur. a *Æstimationem hominum non solum impudenter, verum, & crudeliter in hâc re contemneremus, cum animas occideremus, quæ ex bono nomine, ex bona opinione Magistrorum pendent.* Nobis itaque necessaria

a Aug. l. de bono de viduitis, & hab dist. 3. cap. non sunt audiendi.

vita

*vita nostra, alijs fama nostra.*

Porrò & alia mihi est ratio, pro homine isthoc, grauius agendi, quod indignè traducatur vir equus, & bonus, qui nulli detraxerit; quod gratis persecutionē patiatur, qui impugnatur sine crimine, quod vituperetur, vt noxius, qui fuerat vndequaq; laudabilis; quòd ab inferioris notę hominibus crimē inferatur ei, qui cōmunem hominū sortē transcendit. Huius proinde, & cæterorum virorum sapientissimorum, qui Christinianum Orbem suæ doctrinæ face illustrrâunt, acerbiùs fero nomen traduci a: *pro quorum fama, gloria, memoria, non secus ac pro patrijs, atque delubris propugnandum putarim, ac si pro illorum laude mihi arma capienda essent, non minus strenuè libenter caperem, quam illi pro cōmuni salute ceperunt* Ignoscendum itaque si sermonem longiùs protraximus: pro viro bono indignè traducto scripsimus, pro Magistro decertauimus: iniustas vtique illatas calumnias suscepimus refellendas.

a Cicero in oration. pro Cayo Papirio.

*Addi-*

# ADDITIONES.

## AD CAPVT III.

ACumen ingenij Scoto fuisse natiuum volunt alij; P. F. Ildephonsus Brizenus a ex Ferchio & hic ex Gilberto Bruno referunt: [ Quod Scoto rei rusticę incumbenti, & licet opulenti hominis filio, custodiendis tamen gregibus præposito de more patrię (ne iuuentus pessum abeat otio lasciuiens & æstuans ) occurrerunt duo Franciscani fratres victum cœnobio, vt moris erat, quęritantes. Qui à Patre Scoti pio hospitio excepti, puerúque de mysterijs fidei erudire aggressi, Dominicam illi orationem instillarunt, quem nullam ex Christianis precationibus callere inuenerant, qui rerum omnium inscius, orationem vel semel auditam illicò repetijt. Quod fratres illi admirantes, & ad tantę indolis, aut viuacitatem, aut prodigium stupentes, annuente Patre, licet ábnuente Matre, & reclamante, Scotum in Dunfrisij oppidum adduxerunt: vbi attonsum Seraphico P. N. Francisco consecrarunt, quo & in loco professionem emissam ferunt. ] Verba sunt Brizeni.

a In Appar. §. 2.
b Ferch. c. 20 vitæ Scoti
c Gilbert. in historiâ Eccles.

At hæc cum relatis à Cauello & Wadingo

dingo ex commiuni tra litione minimè repugnant: potuerũt enim natiuę Ingenij aciei accedere Deiparæ Virginis apparitio, de dando intellectu vegetiori & acriori, nec non ad ſcientias capeſſendas faciliori promiſſio, & mutuum clientis de defendendo auguſtiſſimæ Dominę honore, & Dominæ de illuminando cariſſimo Cliente pactum. *Et certè talis acuminis eſſe debuit* Scotus *(* inquit Brizenus ſup. c. *) qui à Deo parabatur, vt omnem in teneris annis bonarum artium incyclopediam imbiberet, toti orbi pro miraculo habitus.*

Fetch. ſup. c. 5. Brizeñ. ſup.

Illud mirabile hîc prætermitti non debuit quod ex Ferchio cùm Brizeno trãſcribimus, vt maiorem aſſerti fidẽ faciamus. [ Hinc apparet Dunſio integerrimam vitam, modeſtiſſimos mores, ſummam fidem, continentiam, pietatem, ſapientiam, innocentiam à D. Virgine impetratas. Ne magnitudo reuelationum Doctorem gentium extolleret, Angelum Satanæ colaphizantem perpeſſus eſt; ne magnitudo gratiarum à Chriſtiparâ conceſſarum Doctorem Subtilem inflaret, ferum hominem captiuitatis tribulatione mancipantẽ tolerare compulſus eſt. Aurum probat fornax, homines iuſtos tentatio. Eduardus

dus Primus Angliæ Rex à longis tibijs Longs Kanks Scotiam atrociter inuasit, nulla monumenta priscæ maiestatis reliquit, quin vel raperet, vel demoliretur: Nobilium, atque Doctorum virorũ quosque potuit, aut crudeli ferro obtruncauit, aut horrore catenarum oppressit. Inter hos, duodecim religiosos abduxit ; & ne funestissimę stragis, & acerbissimę captiuitatis expers esset, Ioannes Duns Scotus, seruitutem miserabilem sustinuit ] Apostolum in obtentis à D. Virgine, aut Deo gratijs, & tolerandis catenis referens.

## AD CAPVT XVI.

Operæ pretium visum est omnia Scripta ( quę VVadingus docet Ecclesiæ Dei valde esse proficua ) ordine recensere.

### *Cathalogus operum Scoti.*

Scriptum est Oxoniense super sententias, libr. 4. incipit, *Circa prologum.*
Scriptum Parisiense, *Reportata* vocant. l. 4. incipit, *Vtrum Deus.*
Quodlibeta.

Quodlibeta l. 1. *Cunctæ res difficiles.*
Collationes. l. 1. *Vtrum tantum sit:*
De primo Principio. l. 1. *Primũ rerũ &c.*
Theoremata l. 1. *intellectus intelligibilis.*
De cognitione Dei. l. 1. *Quia sũma nobis:*
Tetragrammata quædam lib. 1.
Sermones de tempore l. 1. *Erunt signa, in hoc Euangelio &c.*
Sermones de sanctis l. 1.
Commentaria super 4. Euangelistas.
Commentaria super Epistolas Pauli.
*Circa Epistolas Pauli ad Rom. &c.*
Lectura super Genesim ad litteram. l. 1.
In Metheora l. 1. habetur M. S. in collegio. Magdalen. Beliol. & Orialen. Oxonij.
De modis significandi l. 1. M. S. Oxonij in publica.
Quęstiones super Vniuersalia Porphyrij lib. 1.
*Cr elogicalia.*
Quæstiones super Prædicamenta. l. 1.
*Quæritur vtrum liber Prædicam.*
Quęstiones super Perihermenias l. 2.
*Circa subiectum huius libri.*
Quęstiones super lib. Priorum. l. 2.
*Quæritur circa lib. Priorum.*
Quęstiones super lib. Posteriorum l. 2.
*Scire autem opinamur,*

Quæ-

Quæstiones ſuper lib. Elenchorum. l. 1.
*Quæritur vtrum logica.*
Quęſtiones ſuper libr. de animâ. l. 1.
*Quæritur vtrum ſenſu.*
Quęſtiones ſuper Metaphyſicam. l. 12.
*Omnes homines naturâ.*
Expoſitio Metaphyſicæ l. 12.
*Iuxta conſuetudinem.*
Collectiones concluſionum Metaphyſicę lib. 12.
*Concluſiones Metaphyſicæ Ariſtot.*
Super Cathegorias l. 1.
Super Phyſicam l. 8. *vtrum de rebus naturalibus.*
De Perfectione ſtatuum l. 1.
*Status Prælatorum, &c.* M. S. *Cantabrigiæ in collegio S. Benedicti.*
Commentariorum imperfectorum l. 1.
M. S. *in collegio Mertonenſi Oxonij.*

Et alij tractatus, inter quos dubium non eſt ſcripſiſſe tractatum de Immaculatâ Conceptione, pro quâ tot cruenta ſuſtinuit bella, quę enim habet in 3. d. 3. q. 1. de hâc re, ſcripta erant antequam euocaretur in Galliam ad quęſtionem illam pro matris Dei honote propugnandam: cumque in Galliâ tam celebres & ſolemnes habuerit diſputationes pro Mariæ â peccato Originis immunitate omnimodâ, co-

ram

De Bustis in officio immac. Concept. Lect. 4. diei. Posseu. in Apparat.

ram sacrâ facultate Parisiensi, & iussu Pontificis, ac præsentibus eius legatis, vt scribit Bernardinus de Bustis, certo certius videtur inter illos varios tractatus, quos Posseuinus & alij ab eo scriptos testantur, aliquem extitisse de immaculatâ Conceptione, cuius propugnandę causâ in Galliam venit, & tot duros conflictus habuit. Hęc ex Cauello c. 6. vitæ Scoti. Omnia illa opera (exceptis commentarijs in scripturam sacram, & sermonibus necnon tractatu de perfectione, statuum ) collecta, recognita, notis, Scholijs & commentarijs illustrata à PP. Hybernis Collegij S. Isidori Professoribus Iussu & auspicijs Reuerēdissimi P. F. Ioannis Baptistæ à Campanea Ministri Generalis Lugduni prodierunt in lucem M. DC. XXXIX. in duodecim tomos distributa.

De supra positis Scoti operibus testantur Trithemius de *Scriptoribus Ecclesiasticis*. Guilielmus Eysengrenius de *Testibus Catholicæ veritatis ad annum Christi* 1303. Sixtus Senensis l. 4. *Bibliothecæ Sanctæ*, Henricus Willot *in Athenis Orthodoxorum Patrum Sodalitij Franciscani*, Antonius Posseuinus *in Apparatu sacro*. Ioannes Pitsæus de *scriptoribus Anglis*. Cathalogus librorum Bibliothecæ Oxoniensis,

nienfis. Horum illuſtrium ſcriptorum teſtimonia verbótenus refert R. P. Lucas Wadingus poſt vitam Doctoris Subtilis & in limine cuiuſque operis in impreſſione Lugdunenſi, de quâ ſuprà.

## AD CAPVT XX.

EXimias Scoti virtutes, ac præclara opera, ſcripta, Elogia, Epitaphia, & Encomia, Authores penè innumeri referunt. Preter relatos à Wadingo vitam deſcripſère Petrus Cratepolius, Mauritius de porta, ceu de Portu, Hybernus Archiepiſcopus Tuamenſis. Preterea Apologias edidere in deff. ſionem Scoti Poſſeuinus in ſuo apparatu, & Willotus in Athenis, Georgius Heruuartus in Mantiſſa Banarie. Iacobus Galterius in Tabulâ Chronolog. ſæcul. 13. de Scriptor. Eccleſ. quibus Iouij, Sixti Senenſis, Bzouij &c. conuitia egregiè refutātur Porrò, qui de eolatius egerunt noſcuntur; Guillelmus Worillon. in Epilogo ad 4. ſent, item in 2. ſent. diſt. 44 quæſt. 1. Sanctus Bernardinus Senenſis tom. 4. Serm. 1. inter extraordinar. (Si eius ſit opus, nam eidē falsò attribui probauit Wadingus in vita Scoti c. 10.) Bernardin. de Buſtis in officio imma-

Immaculat. Concep. Virg. Lect. 4. diei Beatus Bartholomęus Pisanus lib. 1. conformit. fruct. 8. p. 2. in catalog. Scriptor. Franciscan. item fruct. 11. part. 2. in Prouinciâ Franciæ, vbi de Conuentu Parisiens. & in Prouincia Angliæ versùs finẽ, & in Prouincia Coloniæ, circa initium. Tossinianus lib. 3. histor. Seraphic. Gonzaga 1. part. orig. Seraph. Relig. vbi de Scriptor. Franciscan. & in Conuentu Parisiensis. Marcus Vlyssiponensis 2. part. Chronic. Min. lib. 7. cap. 3. Sabellicus lib. 7. cap. 4. Theodericus Zuingerus in Theatro vitæ hum. tom. 1. lib. 3. Hartmannus Schedel in Hist. vniuersal. ętat. 6. Trithemius, & Bellarminus de Scriptor. Hector Boëtius l. 15. histor. Scot. Ioãnes Leslęus ibid. pag. 7. & lib. 7. in Reg. 97. sub fin. Volaterranus in Antropologia cap. 21. Ioannes Maior in 4. sent. dist. 38. quęst. 11. Philippus Bergomas in supplement. Chron. lib. 13. ad annum 1298. Sanctus Antoninus 3. part. Histor. tit. 24. cap. 9. §. 12. Sixtus Senensis lib. 4. Bibliph. Sanctę. Iulius Burgo, Patauinus, in fronte indicis, seu maris magni Scoticę Subtilitatis. Ciacconus in Clement. V. Pap. Robelledus 2. part. chron. lib. 3. Paulinus Berti, in Epistolâ liminari ad opera

pera Scoti. Hieronymus Ferrariensis, in locis commmumbus Scoti: & ex eo Pascalinus Regiselmus in epistolâ antè opera præfati Ferrariens. Ioannes Rioche in Cōpendio temporum, lib. 4. cap. 84. Genebrardus lib. 4. Chronograph. in Clemēte 5. Brulius lib. 2. Antiquitat. Paris. pag. 524. Spondanus in Auctario Chronolog. ad annal. Baronij anno 1297. Lezana in Apologet. pro Immaculatâ Cōcept. Virg. cap. 15. Pineda in suis aduertentijs ad priuilegium D. Ioannis Arragon. Reg. pro Immaculatâ Concepcion. Virg. Episcopus Osmensis in approbatione l. D. Luceri, de eadem Immaculata Concept. Iacobus Granado tract. de Immaculatâ Concept. disp. 3. cap. 14. Salazar ibidē lib. 1. cap. 13. 42. &c. Ægidius de præsentatione ibidem lib. 3. quæst. 8. §. 3. Petrus Oieda ibidem in sua informatione fol. 62 Pelbartus lib. 4. Stellarii part. 1. art. 3. Cucarus in elucidario Virg. part. 2. Willotus in Athenis orthodox. Franciscan. verbo Ioānes Duns. Prateolus tom. 2. chronic. Eccles. ad annum 1308. sæculi 13. Iacobus Gordonius in Chronol. ibidem. Firmamentum trium Ordinum Francisan. 1. part. de Vir. illustr. Myræus in chronic. ad annum 1038. Pitsæus de Scriptor.

K Angl.

Angl. Gesnerus in Bibliotheca, Nigronus in Commentar. ad Reg. l. 15. comm. Societat. §. 10. Nider lib. 10. formicarij cap. 10. &c. quorum plerique in decursu vitæ Scoti citantur ab Wadingo. Post hos omnes P. Arturus à Monasterio in suo Martyrologio Franciscano ad 8. Nou. à quo pleręque superiores citationes mutuatæ sunt, & nouissimè P. F. Ildephonsus Brizenus Chilensis, apud Limanos in Peruano regno Sacrę Theologiæ Professor bis Iubilatus scripsit fusum & doctū Apparatum Historicum de vitâ & doctrinâ Ioannis Scoti, & pręfixit suis celebrioribus controuersijs ad primum sententiarum, quo Doctoris Subtilis, & nonnullorum eius sequacium Innocentiam, & Doctrinam fortiter defensat.

FINIS.

# PANEGYRICVS ÆTERNÆ MEMORIÆ ET FAMÆ IOANNIS DVNS SCOTI DOCTORIS SVBTILIS

*DICTVS ET DICATVS.*

Ab ornatiſſimo viro ac Domino Nicolao Verhulæo.

*S. Th. L. & Publico Eloquentiæ Profeſſore, Lovanij.*




MONTIBVS,

*Typis,* F. WAVDRÆI Filij, *ſub Biblijs.* 1644.

# APPROBATIO.

HAnc orationem Encomiasticam Reuerendi & Clarissimi D. Nicolai Vernulæi in laudem IOANNIS DVNS SCOTI dignam Typis censeo: Scriptum Coloniç, die 18. Febr. 1622.

*Henricus Fräcken Seirstorpfsius SS. Th. D. Gymn. Laurentiani Regens, Librorum Censor.*



# PANEGYRICVS
## ÆTERNÆ MEMORIÆ ET FAMÆ
# IOANNIS DVNS
## SCOTI DOCTORIS SVBTILIS,
### *Theologorum Principis,*
### DICTVS ET DICATVS.

HOMINEM Aliquem inter homines summæ sapientiæ laudem promereri multum profectò est; Probitate vitę singulari inter cæteros tanquam quendam inter astra solem splendicare, amplius est; vtriusque verò, sapientię, ac probitatis Laureâ decoratum reperiri, plusquam hominis est, & est diuini cuiusdam Herois. Quis obsecro & qualis ille esse potest vel vbiuis etiam, gentium ac terrarum *Vir bonus & sapiens ? Qualem vix repperit vllum*, Poëtarum inquit Princeps, *Millibus è multis hominum consultor Apollo*. Reperi tamen, & millibus è multis, imo multis ex sæculis vnum inueni IOANNEM DVNS SCOTVM, in quo si sapientiam

aspicio

aſpicio, ſuſpicio; Si probitatem admiror, miraculum fuiſſe dico; Si lauream in Immortalitate Memoriæ quaſi ipſius manu contextam oſtendo, cum eam vitæ ſanctitas mereri, & ſumma ſapientia obtinere potuerit, hæreo. Multi ſunt, qui ſcientiarum quędam lumina diffuſis per orbem radijs claruerunt; non pauci qui hominum vitæ rationes cœleſti quadã viuendi normâ tranſcenderunt; vix aliqui, qui ita ſapientes videri voluerunt, vt boni ſimul eſſent. Nolo ſanè cuiuſquam è Diuorum numero gloriam, quam immortalitas ipſa æterna gloria decorauit, diminuere labefactareque conari; tot extiterunt ſanctiſſimi Chriſtianæ Reipublicæ Doctores; tot claruerunt religionis & veræ Eruditionis Soles; tot admirandæ Sanctitatis exemplaria perfectiſſima in hominum oculis ſunt verſata: vnus tamen hic IOANNES SCOTVS ita omnem ætatis ſuæ cum admiratione gloriam duplici quodam probitatis & eruditionis ſummæ iure ſibi vendicauit, vt parem illi nullum ventura ſæcula datura viderentur. Eius ingenium cum admirari nũquam ſatis poſſent quęcumque præſtantiſſima orbis vniuerſi Ingenia, *Ingeniorum Phœnicem & Doctorem*

*ſubtilem*

*subtilem eum appellauerunt*, Eius Doctrinam cum assequi tantùm illi possent, qui ingenij quibusdam alis ad veritatis culmē attingerent, suspicere verò omnes & amare possent, Theologorum Principem non muto calculo, sed vnanimi voce renuntiauerunt. Et cùm in eo cum admirabili Sapientia incredibilem vitæ modestiam, probitatemque animaduerterent, virum illum esse bonum & sapientem, qualem multa sæcula vix vnum proferrent, dixerunt. Ego verò, si quem etiam in tot de illo iudiciorum vrnam calculum inijcere, & gloriæ eius triumphalem currum non adulanti manu sed veritatis ipsius humeris impellere possum, hominem illum inter homines inuidendum appello. At, obsecro, quibus inuidendum? Vobis sane, religiosi viri, quotquot in sacris illis beatissimi Francisci castris sub sanctissimę militię disciplina ad ęternam felicitatem cōtenditis, in quibus ipse ita vixit, vt floreret, ita floruit, vt fructum ingentem vniuerso orbi adferret. In quibus, inquam, ita sapientiæ operam dedit, vt esset sapientissimus; ita vitam suam virtutibus exornauit, vt esset sanctissimus. Sed nimirum iam inuidiam illam remittit orbis, cum

non

non illum tantummodò veſtrum eſſe videt, ſed ſuum, perque eius Doctrinam ad ſapientiam inſtruitur, & per virtutes ad vitæ ſanctitatem prouocatur. Quæ duo dum admiror, & æternę eius memoriæ, ſi quid in me facultatis eſt, monumentum aliquod erigere contendo bonitatem eius & admirandam omnino Sapientiam, ſi quiſquam adhuc ignorare inter homines poteſt, oratione manifeſtabo. Tibi ſanè actuæ Famæ, *Eximie Theologorum Scote* alius præco debebatur, qui robuſtæ, & procul reſonantis eloquentiæ tubâ ſummas illas laudes tuas auſcultante orbe vniuerſo intonaret, debebatur potens aliquis patronus, qui grauidam neſcio quo veneno Inuidiam, & ex latebris aliquando erumpentem, auctoritatis & validæ facundiæ ſubſidio protereret. Sed nimirum iam ipſa æterna fama in ipſius te gloriæ faſtigio collocauit, vt latere, & ignotus eſſe orbi non poſſis; iam ea claritate ac ſplendore veræ laudis fulges, vt te intuentium oculi caligent, & poſitus in eo Immortalitatis culmine, ad quod adſpirare vix humanum Ingenium poteſt, omnem Inuidiam ſuperauiſti. Adeò quicquid de te dixerò, erit infra laudem tuam, & dum coloribus aliquibus exprimere te præſumam, lineamẽta tan-

ta tantùm aliqua ducam. Verum ſi ex vngue Leonem, & ex pollice Gygantē metiri licet, metiatur te hinc quiſquis volet, dicet profectò te Sapientiæ ſummæ magiſtrum, te virtutis eximię pędagogum extitiſſe. Et verò quanta eſſe eius regionis gloria poteſt, quę tantum virum, tantum, inquam, ſolem, cuius radijs tot in orbe toto Academiæ, tot ſcholæ, tot Sapientię ſedes ac delubra illuſtrantur, produxit? Olim cum is eſſet Homerus, vt eius ingenium, ſapientia, ac diuina vis Poëſeos omnem omnium ſęculorum laudem occupatura videretur, vt ab illo commendationē aliquam haberent ſeptem vrbes, *Smyrna, Rhodos, Colophō, Salamin Tos, Argos, Athenæ,* de eius patria certauerunt. Illum omnes ſuum ciuem eſſe dicebāt, omnes ex ſe natum, & in ſe lucem primam aſpexiſſe contendebant, quaſi reliquis omnibus ea pręferri deberet, quę Homerum virū ex omni Antiquitate ingenioſiſſimum & ſcientiarum omnium communem quaſi parētem genuiſſet. Pari verò ratione certare mihi pro Scoto non vrbes aliquæ, ſed regna, ſed integrę prouinciæ videntur, vt tum illa quaſi ſola ſummam gloriam vendicare ſibi poſſit, quæ Scoti mater nouum in orbe ſolem produxerit. Illum Anglia

ſuum

ſuum eſſe dicit; illum quę hodie Scotia eſt ſibi vendicat; illum Hibernia alumnum ſuum & lumen aſſerit, Inter quas ſi tantā pro vnius cęleſtis verè Herois gloriâ conuerſiam decidere fas ſit mihi, nec tuus eſt, Anglia, quæ nati cunas non excepiſti; nec tuus Scotia, quæ tum, cùm communem hunc ſolem, Sol ipſe nouus aſpexit, nondum Scotia, niſi fortaſſe minor, Sed Albania eras. Tuus verò eſt, ô Hibernia, tuus ille Scotus, quē tibi celeberrima ac peruetuſta vrbs tua Dvn, tanquā æternæ gloriæ pignus quoddam, & ingeniorum omnium miraculum genuit. Tu nimirum es illa olim regio, quæ Scotiæ nomine dicebaris, & quam tot famoſiſſimi doctrinâ vitâque viri, quos Scotos non pauca veterum monumenta appellant, patriam agnoſcunt. Prouocet ab hoc iudicio noſtro, qui volet, ſententiam noſtram ad Antiquiſſimos Annales, & digniſſimos omni fide Hiſtoricos examinet, calculum ad veritatis ipſius teſſeram expendat: condemnabit eum Richardus Stanburſtus Academicus olim Oxonienſis, & hiſtoricus, qui Scotiam non ita pridē pro ea Britanniæ parte, quæ hoc hodie nomen vſurpat, dictam atteſtatur. Condemnabūt eū ipſi Anglię, Scotięque Annales vetutiſſimi,

ſimi, qui Hibernos Scotorum nomine vicinis, omnibus regionibus ac toti orbi cognitos fuiſſe produnt. Condemnant eum Capgrauius, Paulus Amalteus, Richardus Conueus, Cæſarius, Fugoſius, alij ſexcenti, qui vt Hiberniam Scotiam olim appellatam affirmāt, ita diuinum hūc *Scotū* natione patriaque Hibernum fuiſſe proclamant. Quanquam ne hoc noſtro iudicio triſtem litteram protuliſſe videamur, nullam ſanè prouinciam condemnemus, & qui vnius eſt, omnium eſſe dicamus. Tuus eſt, ô Anglia, *Scotus*, tu enim illum primâ litterarum & Artium inſtructione tuum eſſe feciſti, & ille ſe tuum publicâ Sacræ Theologiæ profeſſione in tua Oxonienſi Academia eſt profeſſus. Tuus eſt, ô Scotia, Scotus, quidni enim eū tibi aſſerere poſſes ex Scotiâ maiore, hoc eſt ex Hibernia, oriūdum, quæ Scotia tum minor & Albania dicebaris? Tuus eſt, ô Hibernia, Scotus, qui in te vitę principiū accepit, tuos ciues parentes habuit, tuum ſolū Patriam agnoſcit. Immò verò omnium eſt ac totius orbis Cœlique Scotvs, qui Doctrinâ terram omnem, virtute Cœlum occupauit. Glorietur Hibernia de alumno, Anglia de diſcipulo & Doctore, Scotia de propinquo, vicinoque ciue; omnium

gloriam

gloriam summam ipse facit, qui suorum temporum summa ipse gloria fuit. Et quoniam iam hanc litem ita cōposuimus, vt Scotum nostrum nō sine Angliæ, Scotiæque summa laude Hibernum habeamus, ad eius tandem aliquando vitæ Sanctitatem, quæ veræ sapientiæ fundamentum esse solet, accedamus. Ita enim arbitror planeque mihi persuadeo frustra in eius animo Sapientiam expectari in quo probitas domicilium nullum habet, & à quo virtus exulat, cum ea tantum Sapientia vera esse possit, quæ cum probitate virtuteque est coniuncta. Cum nec subtilissimi Doctoris huius animum tanquam sacrarium quoddam suum virtutes omnes ordinatissimo choro possederint, splendore suo ad omnem gloriam exornarint, potentia sua ad omne robur constantiamque contra exsurgentes qualcunque in hoc orbis pelago tempestates corroborarint, tum in primis singulari quadam ratione illum eius animum Humilitas profundissimaque mētis submissio sibi vendicauisse videtur. Non ignorabat quippe vir Sapientissimus verissimum illud Salomonis oraculum, ibi Sapientiam esse, vbi humilitas esset, ideoque cum generosissimo animo, & conatu laboriosissimo ad Sapientiam adspirare

statuisset,

ſtatuiſſet, mentem ſuam quanta potuit ſubmiſſione ita depreſſit, vt nullus in ea arrogantiæ næuus vel ab Inuido oculatiſſimo videretur. Cum loquebatur, loqui ipſa Humilitas videbatur; cum ageret quippiam, quicquid eſſet, ordinare illud Humilitas credebatur. Ita nulla erat in verbis eius arrogantia, nullus in factis eius faſtus; ita diſplicere humillimi eius ſermones non poterant, poterant verò etiã, quæcunque tã ſubmiſſe perageret, hominibus omnibus placere. Quanquam vel ipſa eius veſtis ac corporis totius compoſitio quantam non, obſecro humilitatem ſpirabat? Quam omnem omnino ſuperbiam ac faſtum excludebat? Trita ipſe plerumque, vili, ac centonibus neſcio quibus deformatâ veſte tegebatur; nudis pedibus, quodcunque iter aggrederetur, incedebat; curribus vel equis vti pene piaculum ipſi erat. Adeò inſtituti ſui auctori Beatiſſimo Franciſco ſimilem ſeſe eſſe cupiebat, & Apoſtolorum veſtigijs inſiſtens ad Chriſti vitam vitæ ſuę rationes dirigere contendebat. Habes hic, quiſquis inuidere potes, quod admireris inuidendo; habes, quiſquis eius gloriam ferre non potes, quod probes improbando. Dic arrogantem Scotum: nimirum in veſte, quæ vix hominis eſſe poterat;

terat; dic animi elati Scotum? nimirū cui ad iter conficiendum nec currus noti, nec equi. Vis humilem intueri? Intuere stipem ostiatim precariâ voce colligentem, de victu anxium, de hospitio sollicitum. Quoties enim in via pertingere ad Ordinis sui Domum aliquam, aut Cœnobium non poterat, toties tenue aliquod sustentandæ vitę solatium, & hospitium emendicabat. O profundissimam & sęculis omnibus obstupescendam humilitatem! Eum ad Stipem manum porrexisse, qui in summarum dignitatum fastigio propter excellētissimas virtutes sedere debuisset? Eum aliquando fores aliorum pro cibo aliquo sollicitauisse, qui sapientiæ in terras omnes ambrosiam diffundebat? Eum hospitium vel tectum aliquod submissis precibus ad pernoctandum quæsiuisse, qui celeberrimas Academiarum sedes ac pulpita diuinâ quadam voce replebat? Laborat Posteritatis fides, vt credat, credit tamen vt extollat, extollit vt admiretur, admiratur, nec satis capit. Sed hoc humilitatis eius filum secuti ad eius laboriosissimas lucubrationes penetremus. Plurimi sunt, qui cum scribunt, non calamum, sed stylum stringere sibi videntur; clamant, pugnam cient, instant, &

quasi

quasi prostrauerint hostem, triumphum agunt. Alij sunt, qui cùm rem aliquā controuersam rationibus suis tanquam machinis quibusdam admotis, vt sibi videntur, ita peruaserint, vt dissoluisse & veritatem attigisse videri possint, cæteros omnes tanquam cæcos & noctuas quasdā despiciūt. Non ita sanè diuinus hic Scotus, qui etsi subtilissimi sui ingenij alâ per ardua quæque volitaret, submissionis tamē suę nunquam immemor non plus quam oportebat, sapiebat. Eratne fortassis aliquid, quod nulla vi ingenij penetrare attingereque potuisset? Hic ignorantiā suā libēs fatebatur. Eratne rursum aliquid, in quo dubijs rationibus tanquam aduersis quibusdam ventis mēs agitata statuere decernereq; nihil omnino valuisset? Hic aut sapienter silebat, aut modestè dubitabat. Non ad dubia quæque Lectorē vel auditorem auctoritate, quam ipse sibi fingeret, trahebat sed ad eius liberrimam voluntatem ac iudicium rem omnem deferebat. Nō in ambiguis velut ex oraculo loquebatur, sed ista videri ac dici posse, nihil asserendo, dicebat. Si quandoque in alterius sententiam erat incurrendum, non illius velut hostem ad pugnam euocabat, nō in illum rationes tanquā tela vel potius ful-

mina vibrabat; non illum compellabat, vt audito nomine gloriosior tanquam de deuicto triumphus appareret: quid ergo sententiam in medium cum modestia producebat; nomen vt plurimum subticebat, errorem, nisi in omnium is oculos incurreret, non obijciebat, rationes ipse suas sine inuidia aut fastu proponebat; veritatē clarissimæ lucis radijs ostendebat. Nimirum expeditus ipse miles in arena, sed non iactabundus: prudens rerum æstimator, sed non censor; fortissimus veritatis assertor, sed non aliorum expugnator; iudex bonus, sed non castigator importunus. Vincere sciebat, nō triumphare, & cum vincebat, vix pugnauisse videbatur, vt non tam refutauisse quenquam diceretur, quam docuisse; non tam errorem cuiusquam depulisse, quam eo suppresso veritatem ostendisse. Vixit & immortali cum gloria ea ætate vixit fulgentissimum illud Sanctissimi Prędicatorum Ordinis lumen Beatissimus Thomas Aquinas, cuius quanta extitit in omni vitæ ratione sanctitas, tanta in omni disciplinarum genere sapientia fuit. Vtraque hominum omnium memoria ac veneratione. illa vero etiam æterno, quo perfruitur, præmio dignissimam. An in hunc igitur insolentem ali-

quam

quam & inuisitatam omnino pugnam suscepit? Sane ita credere videtur, qui ignorat;ita sentire, qui nunquam legit. Nimirum, hodie tam procliuis est iudicandi facilitas, vt solo nescio cuius auditu iudicia nitantur, & satis esse possit rumorem inter pueros esse, vt viri iudicium ferant ac pronuntient. Sed tamen quodnam inter illos certamen existit,quod non ab ipsa sit ordinatum ratione? An ab eius aliquando sanctissimi viri sententia recedit? Equidem potest. Et cum ipsa ratio ducit,quiuis potest. An eum acerbiùs, quam par esset, cōpellat? Aut nunquam, aut cum honore semper. An eius improbat opinionem, & rationes insolenter reijcit? illam modestè proponit, his vero suas opponit. An eius se iudicem ac censorem constituit? Disputationis aleam in medio, iudicium lectori relinquit. An tanti viri auctoritatem vilipendit? Imo amplectitur cum ratione semper, at, vbi alio ratio fortior trahit, deserit. Erat quippe in verbis parcus & modestus, in scriptis cum doctrinâ verecundus, in disputando sine acrimoniâ subtilis, in refutando sine inuidiâ doctus, in respondendo cum prudentiâ facilis. Quamquam, vt erat vir religiosissimus, non ea tantum erat

animi submissione modestiaq;,sed insignis omnino, & admirabilis in eo obedientia elucebat. Quam promptè? quam alacriter? quam animo gestienti, quę quidem imperabantur, exequebatur? Nolo omnium vitæ eius dierum rationes hic inire, nolo totum vitæ eius spatium excutere. Libenter illi omnes propter sapientiam sese submittebant, libentius ipse omnibus propter animi submissionem obsecũdabat. Illud sanè omnis ætas & posteritas admirabitur, quod cum quodam tempore recreandi animi ac corporis gratia Lutetiâ egressus per campos obambularet, atque Ordinis supremus præfectus consignato scriptis mandato Coloniam eum in Germaniam euocaret, id vbi ipse vidit ac cognouit, confestim iter ingressus in Germaniam contendit. O admirandam obedientię sanctissimæ vim! O dignissimum cœlo pectus! Non illum Fratrum aliorum ab itinere suscipiendo familiaritas retardauit; non professionis publicæ negotium summâ cum gloria susceptum moram iniecit, non rerum ad iter necessariarum comparatio,vt domum rediret,permouit; abijt statim corpore & animo, vt sibi videbatur, quia obediebat, expeditus. Sed nos etiam hinc abeamus, & in hoc virtutũ

cursu

curſu virtutem aliam admiremur; Delectũ hic inſtituo neque enim omnia dicere poſſum, quid tamen in hoc delectu ſeligã, cum tot ſeſe offerant ornamenta, prorſus ignoro. Magnæ in eo virtutes omnes fuerunt, maxima verò vis Deum precandi ac contemplandi. Diuinus in homine animus eſt, & diuinę auræ particula originem è cœlo trahit, ideoque, ſi cœleſtis patriæ non immemor viuit, commercium hominum & terræ Domicilium dedignatur. Talis erat diuini huius Scoti animus, quem in terris nihil oblectaret, redire ad Deum geſtiret, cœleſtium conſortio vteretur, cum diuina maieſtate, velut in ſecreto Sacrario ſermones miſceret, & quaſi corporis vinculis expeditus, inque libertatem aſſertus, ſæpius extra, quam in corpore ageret, elementa ac cælos omnes tranſcenderet, ibique eſſet, vbi ſe eſſe neſciret, in terris ſimul & in cœlo eſſet: Quoties aggredi aliquid fixum erat, eius auſpicium & initium à pia ad Deum precatione faciebat. Quoties arduam aliquam de diuinis illis myſterijs diſſertationem inſtituere, vel diſputationis arenam calamo aut voce ſubire propoſitum erat, cœleſtem opem fuſis precibus implorabat. Quoties cõmentationibus ac lucubrationi-

busillis suis finem ac coronidem imponebat, pietatis plenissimo sermone gratiarum actionem sapientię auctori Deo persoluebat, Ita nihil moliebatur Scotus sine Deo, imo cum nihil moliebatur sine Deo non erat. Pura illa mens & cælo nata ita aliquando abripiebatur, vt sine sensu, sine vita corpus esse videretur. Iudicabant homines iam inter homines eũ esse desijsse, in cuius corpore otiosi sensus, motus nullus, nullum vitæ indicium apparebat, nec hora vna aut breuissimo temporis internallo, sed longissimo. Tunc nimirum mẽs per contemplationem sursum eue[illegible]a in diuina illa penetralia sese insinuabat; tunc celestium mysteriorum arcana curioso quodam & pio affectu perscrubatnr: tunc ad veritatis ipsius fores consistens fulgentissimis eius radijs illustrabatur: tunc ea perdiscebat, quæ quando felici calamo cõsignauit, & docta in scholis voce publicauit, hausisse eum è celo nemo non affirmabat. Et sane si dicendum est, quod sentio, hic admirabilem & eximam illam sapientiam suam expressisse Scotus videtur, vt cum plura ipse nouerit, quam exiguo nõ longæ ætatis spatio discere ab hominibus vel vllo studio ac labore sibi cõparare potuerit, necesse sit eum illa om-
nia

nia diuino quodã beneficio consecutũ fuisse. Planè cũ abripiebatur diuinus eius animus, Scholam illam cęlestem intrabat, & diuinę quodammodo Sapientię discipulus factus, ea percipiebat , quę prętcr Scotum nemo omnino sciebat. Hic acuebatur eius ingenium, hic subtilissimis contemplationibus mẽs instruebatur, hic inusitatas perquirendę veritatis vias edocebatur, hic verissimam diuinarum rerum sensum , & certissimam eximiæ Theologię rationem perdiscebat. Atque ita factum est, vt non tantũ nullis vitę cupiditatibus viuendo teneretur, verum etiã corporum similitudinibus (cum Bernardo loquot ) speculando non inuolueretur. At, inquies, quantę hoc tandem est puritatis? quantæ sanctitatis? Non ego inficias ibo, neque hic in tãtaScoti gloria quicquã dissimulabo. Fuit hoc sanè fuit angelicæ puritatis, fuit plusquam humanæ sanctitatis. Cuius rei si quis à me testimonium requirat, testem ipsum appello Deum. An non cum vice quadam ea nocte, quæ natalis Christo fuit, diuinum illud admirandę Incarnationis mysterium attonitâ & amore plenissimâ mente contemplaretur , benignissimus illi Iesus apparuit, eius brechijs dulcissimum onus incubuit,

in

in eius collum iterum atque iterum repetitis amplexibus insiliuit, eius animũ suauissimis vocibus solatus est, & recreauit? Nihil hic fingere me quisquam arbitretur, testis est Marcus Vlissiponensis, testis Gregorius Ruys testis Paulinus Berti, testis Rebelledus, quorum omnium fidē sæculorum assentientium consensus approbauit. Et verò dubitare de eius sanctitate quisquam posset, quem magno aliquando desiderio ipse Deus inuisit? cui se gestandum puerili specie exhibuit? Non, non amplectitur tã suauibus osculis quẽquam Deus, nisi cuius animum angelica puritas, & cælestes virtutum radij illustrant. Non, non tam blandè, non tam amicè, non tã beneuolè solatur quenquã Deus, nisi cuius vita nullas ab hac rerum terrenarum fece sordes contraxit. Quanquam, quoniam Scotum iam bonũ habemus, Sapientem ostendamus: iacta sũt magnæ Sapientiæ fundamenta, vbi vitæ integritas sanctitasque innocentem animum occupauit. Audebo dicere, & verè dicam, non poterat non esse sapientissimus Scotus, qui id primum contenderat, vt esset Sanctissimus. Dicam iterum, & teste cęlo dicam, non poterat non omnem animo

suo

ſuo ſapientiam complecti, qui nihil ſcire, niſi quod è cælo didiciſſet, deſiderabat. Queritis cuius tandem ingenij Scotus fuerit, priuſquam in Scholarum ſpatijs ſapientię ſuos labores conſecraret? Videte, quomodo nihil ad laudem eius & gloriam contingo; fuit hebetis, fuit ſtupidi. Ita non ad ſcientias natus, ſed nec ad eas fieri poſſe videbatur, vt nimirum quicquid in eo poſt modum homines admirarentur, non tam humano partum labore, induſtriaque quęſitum, quam à Deo è cœlis datum eſſe crederent, ac pronuntiarent. Neque ipſe huius ſuæ naturę tarditatem ac ruditatem ignorabat, ideoque cum primis illis diſciplinis, quæ humanam naturam noſtram tanquam eius ornamenta, excolunt, & ad ciuilis vitæ rationem informant, operam nauaret, animaduerteretque nullos ſe in ijs per ingenium facere progreſſus, quadam die cum ſub arbore forte conſediſſet, ſublatis in cœlum oculis vultuque ad pietatem compoſito multis à Deo precibus ac lachrymis, vt hanc ab ingenio ſuo ruditatem tolleret, contendit. Nec fruſtrà pijſſimi & religioſiſſimi animi preces Diuinæ Maieſtatis aures impulerunt. Nam cum exhauſtis lachrymis corporeq; fatigato in sōnū oculi incidiſſēt, videre ſibi viſus

ſus eſt pręſentem & videbat, audire etiam loquentem, & audiebat, glorioſiſſimam cœli Reginam Deiparamque Mariam: Age, inquiebat illa, quo cepiſti animo ac labore diſciplinarum ſtudia decurre; ipſa tibi ab æterna illa ſapientiâ, quam virgineis hiſce, viſceribus concluſi, ſapientiam aliquam, nec dubites, impetrabo. Tu obſequio noſtro deuotum animum gere, & puritatis noſtræ, quam nulla vnquam macula deturpauit, exiſte propugnator. O ſingularem omnino beneuolentiam? O incredibilem diuinæ matris benignitatem! Excutit fortunatum hunc ſomnum SCOTVS, conſurgit, gratias Deo & Virgini agit, obſequium æternum vouet, futurum ſe Virginei honoris acerrimum propugnatorem promittit, ad Scholas, Diſciplinarũ illas officinas, redit, gaudio, ac lætitiâ ſummâ plenus omnem laborem moleſtiamque ſuperare contendit. Deus Immortalis! quantos quam ſubito progreſſus cœliſti illo Deiparę fauore fecit? Nihil erat, quod eius ingenij aciem effugere poſſet-nihil tam arduum, quod non ſubtilis mentis acumine attingeret; nihil tam obſcurum, quod non illuſtrati ingenij face in lucem attraheret, nihil tam difficile, quod non ſibi ſubijceret & ſuum quodammodo.

faceret

faceret. Crescebat in dies in eo vis ingenij, sed & simul pietas; & in Diuam Matrem amor crescebat, quoque doctior fiebat, eo sanctior, pari pene eruditionis & probitatis mensura cumulabatur. Quis vnquam illo doctior fuit, aut esse potuit? Nullum est scientiarum genus, in quo non fui: versatissimus; nulla sapientiæ pars, quã non accuratissimè cognouit; nulla ars, cuius non ipse perfectissimam sibi notitiam comparauit. Taceo primas illas Artes, quę in limine Sapientiæ primam discentis ruditatem expugnant, & ad ipsa Sapientiæ adyta positum auditorẽ introducunt, hæ enim infra eius sũt laudes, nec ab his stellis tanti solis splẽdor exsurgit. Quis subtiliùs vnquam de vniuersa Philosophia disputauit? quis maiori cum audientium applausu illum ex celeberrimis Academiarũ suggestibus explicauit? quis de ea plenius, perfectius, laudabilius ad omnem posteritatem nũquam intermoritura volumina conscripsit? Disserẽdi ratio suam à Scoto subtilitatem accepit: Naturę cognitio Scoti ingenium tanquam facem quandam habuit. Sublimis illa & supra Naturam Doctrina suo in fastigio per Scotum consistit. Quod Philosophia è tenebris excesserit, quod humi amplius non re-

pat,

pat, quod ingeniorum excellentissimorum aciem in se conuertat, beneficium est Scoti. Non iam Democritus veritatem in puteo, cui fundus non sit, demersam cōqueratur, illam eruit Scotus; Non iam Anaxagoras tenebris septam ac circumfusam esse proclamet, illam ex his eripuit, & illustrauit Scotus. Non iam Academici res omnes incertas ac dubias esse dicant, obrutamque ac confusam latere veritatem; rerum omnium certitudinem ostendit, ac iacentem erexit veritatem Scotus. Patet via ad ipsa vsque Philosophiæ arcana, sed quam aperuit Scotus: nulla amplius veritatem indaganti asperitas occurrit, hanc enim sustulit Scotus. Et quēadmodum cum exoritur sol obducto nubibus cœlo confestim eius radiis dissipatæ nubes cœli serenitatem mortalium oculis proponunt, ita vbi Scotus tanquam sol fulgentissimus subtilissimos ingenij sui radios in vniuersa Philophiæ spatia immisit, protinus omnes cessere tenebræ, & veritas ipsa Doctorum mentibus apparuit. Nolo hic eorum librorum seriem ac catalogum contexere, quos de singulis Philosophię partibus ad hominum admirationem acutissimo suo ingenio posteritati cōsecrauit: noti illi sunt in scholis omnibus

abci

noti in Bibliothecis, noti in discentium ac docentium pulpitis. Neque vnquam acutè sapere visus est, qui Scoti doctrinam non sectaretur, nemo subtiliter scribere iudicatus est, cuius calamus Scoti subtilitatem non ęmularetur. Ab illo qui dissentit, repit: cum illo qui loquitur, assurgit. Nescit enim vdam tenere humum, & humanæ sapientiæ littora legere, sed supra nubes volitat, & quo aspirare alij vix audent, ibi Scotus felicis ingenij acumine triumphat! At vero non Philosophorũ ille tantum princeps exstitit, verumetiam Theologorum Phœnix. Hic vnus librato super ardua quæque ingenio Prometheum imitatus cœlestem ignem, cœlestem inquam sapientiam, non ex solis rota vt lutum animaret, sed ex ipsis Verę Sapientię ac cœli Arcanis, vt hominum mentes illustraret, accepit. Hic vnus non diuinam illam Scientiam ab hominibus, quanquam etiam ab hominibus, sed ab ipso Deo precibus, & adlaborante ingenio impetrauit. Vidistis vnquã Aquilam quæ irretortis oculis Solem intueatur, non caliget, non perstringatur? Hæc illa Aquila est Scotus, qui vbi ingeniũ suũ ad veritatis Solem cõtorsit! nõ nimio lumine perstrictus, seduxit, sed radios eius excepit, exceptos

in

in magnam lucem conuertit; lucem ipsam in orbem vniuersum, quaqua latè patet, diffudit. Illum Sententiarum Magister Magistrum inuenit, ab eius luce lucem accepit, ab eius ingenio creuit, ab eius subtilitate plus sibi sapere visus fuit. Illũ Scriptura Sacra sacrum suum & acuratissimum Interpretem agnouit; dum sublimia illa Religionis Romanę mysteria, quæ Euangeliorum libris, quę Diui Pauli Epistolis, quę generationis primæ volumine continentur, illustrauit. Taceo quæ de Sanctorum gloriâ gloriosè conscripsit; non dico quæ de Dei cognitione, quæ de primo rerum Principio, quæ de rebus alijs vt sublimibus, ita penè ignotis ad sempiternam nominis sui memoriam exarauit. Inuideãt, ac verò etiam inuidia sua rumpantur qui volunt, fuit Scotus Sapientię Magister, Theologicę subtilitatis doctor, reconditorum arcanorum perscrutator, summarũ vbique difficultatum prudentissimus enodator. Et cum omnem veræ Theologiæ sapientiam docendo tradiderit, scribendo asseruerit, disputando propugnauerit, tum veró vel acerrimum se athletam exhibuit, cum immaculatam Deiparę Virginis Conceptionem frementibus, ac frendentibus aduersarijs ita disputando in scholarũ pul-

pitis asseruit ac sustinuit, vt stare pene per Scotum tantæ Virginis honor existimaretur. Huc omnes ille vigilias suas, omnem operam, omnem laborem ac curam referebat: pro eo omnes molestias ipse deuorabat, cæterorum inimicitias libenter subibat, inuidiam magno animo, & gestienti conscientiâ contemnebat. Multi eum in hanc de Immaculata Conceptione arenam prouocabant, prouocatus veniebat; multi grauissimorum, vt quidem credebāt, argumentorum machinis illum impetebant, impetitus ipse sed non læsus eas in illos retorquebat; multi clamoribus inconditis vincere eum contendebant, ipse modestia sua illos superabat; multi auctoritatem obtrudebant, ipse rationem apponebat. Ita factum est, vt quoties de Virgine Matre pugnauit, toties Virgini Matri honorificentissimam victoriam pepererit. Testor hic te & te appello, O Cæli ac Terræ Regina, (nam hunc animum tuo auxilio, & hanc doctrinam tuis precibus Scoto tuo procurauisti,) an non immaculatæ Conceptionis tuæ honorem in terris per Scotum ipsa defendisti? an non eius grauissimos pro te conflictus semper probauisti? An non pro te pugnaturo vires semper & animum addidisti Nimirū (te-

stor

ſtor certiſſimam ſæculorum elapſorum famam, teſtor celeberrimorum Doctorum conſcientiam) cum Lutetiæ Pariſioru die quadam in grauiſſimo, ampliſſimoque famoſiſſimæ Academiæ Doctorum omniũ conſeſſu, ac præſentibus Apoſtolicæ Sedis Legatis, quorum auctoritate hæc omnis concertatio ſuſcipiebatur, de immaculato Magnæ Virginis ortu diſputaturus eſſet, iamque ad locum progreſſus ſupra ianuam eius imaginem ſublatis modeſtè oculis animaduertiſſet, confeſtim in genua prouolutus magno ſolliciti animi affectu, Dignare, inquit, me laudare te Virgo Sacrata, Da mihi Virtutem contra hoſtes tuos. Vix dum elocutus poſtrema verba videbatur (obſtupeſcite, & miraculum audite;) O! inclinato parum per capite ſanctiſſimæ Virginis imago ſupplicanti annuere, & promittere victoriam eſt viſa. Quin primo, quod admirari nulla ętas ſatis poteſt, inclinatum imaginis caput ad hæc vſque tempora noſtra, né dubitare quis vnquam poſſet, permanet. Teſtis Oſmenſis ille Antiſtes, cuius auctoritate de immaculata Conceptione Luceri libri comprobatur. Teſtis eſt Ioannes Pineda, teſtis Baptiſta Lezana, teſtis Gregorius Ruyſenſis, teſtes alij Sexcenti, quorum fidem nunquam ſanus

ctus Orbis reprobabit. Et sane cum ab hac arena victor Scotus recedens æternũ immaculati honoris trophęum Sanctissimę Virgini erexisset, Deus immortalis! quantus hominum omnium applausus? quantus ad victorem hunc conspiciendũ ex omnibus partibus hominum concursus? quãta in omnium animis ob defensam tam generosè Virginem lętitia? Audierat (nam fama subitò imi Orbem vniuersum peruolârat) Coloniensis Academia, & Doctoris subtilis nomen, quo iam illum Parisiensis insigniuerat, approbauit. Audierat Roma ipsa, & ne ingrata in Scotum tanti honoris propugnatorem videretur, idem eius gloriosissimum nomen Sanctissimus Põtifex confirmauit. Quanquam vt non tam meo, quam doctissimorum omnium hominum ore Scotus noster laudetur, prodeant in medium, ac loquantur. Ac inprimis loquatur Vniuersa illa mundi Historia, nunquid Scotum velut alterum Apollinem floruisse, & præ cæteris Theologis subtilissima quędam opera edidisse testatur? Loquatur Sabellicus, nunquid neminem Scoto subtilius diuinas tractauisse litteras affirmat? Loquatur Antoninus, nunquid multa subtilia scripsisse eum, ac iure meretissimo Subtilis Doctoris no-

M men

men reportauisse scribit? Loquatur Sixtus Senensis, nunquid virum admirandæ eruditionis subtilitate præditum appellat? Etiam hic vocem edat Trithemius,& Scotum virum in diuinis Scripturis studiosum & eruditum, inque Aristotelis Philosophia doctissimum, adeoque profundum, vt eius à paucis intelligi, penetrarique scripta possint, proclamabit. Audiatur sūmum illud purpuratorum Patrum decus Bellarminus,& Scotum virum acutissimo ingenio præditum appellabit. Prodeat Hector Boëtius,& Scotum sub sanctissimo Diui Francisci instituto tantæ eruditionis Theologum extitisse testabitur, vt eius ingenio sæculum illud censeri possit indignum. Adsit Antonius Posseuinus, fatebitur profecto in Aristotelis Philosophia ita Scotum præstitisse, vt cęteris omnibus disputando palmam prçriperet; ita sanam eius omnem doctrinam fuisse, vt hanc vsque ętatem per annos amplius trecentos eius sine vllo erroris næuo libri permanserint inuiolati. Euocetur huc Guilielmus Worillonius: quanquam quid euocetur? N n inquit, quendam in terris puto tuas, ô Scote, laudes dignis celebrare sermonibus posse, quem mater Vniuersitatum Parisiensis suo in flore & pretio tot

inter Doctorum turmas Subtilis nomine insigniuit, & cui Coloniam aduentanti vniuersus obuiam clerus processit. Tua dicta communem trāscendunt facultatem: tu Inquisitor es maximus veritatis, tu redargutor falsitatis, tu Veri Arca, tu Legum summa, tu rerum comperta Sanctio. Alios innumeros nihil attinet citare, qui vno omnes ore proclamabunt illustratam à Scoto subtiliter Philosophiam esse, & Theologiam feliciter auctam. Dicent etiā & testatum toti Orbi esse volent eruditionis humanę non miraculum tantum, sed terminum etiam Scotum extitisse. O quot, ô quanti, ô quam admirandi ab hoc Magistro Discipuli prodierunt? A tanti solis luce non potuerūt nisi illustres Lunæ procedere. Sed comprimere hic, stylum malo, quàm in nouum dicendi campum excurrere. Illud dico, erat in hoc Orbe Scotus tanquam Apollo vel Salomon quidam: ad eum videndum audiendumque ex omnibus certatim partibus concurrebatur. Nemo satis se Doctum existimabat, nisi Scotum magistrum audiuisset: nemo Doctorem se putabat, nisi Scoti Doctrinam profiteretur: multi, qui in eius nunquam schola auditores extiterant, vt discipuli tamen fuisse viderentur, Scoti opi-

niones vbique iactitabant. Tanta eius doctrinę sapientiæque fama, tanta nominis auctoritas, tantus eruditionis vbique splēdor. O felices vos & fortunatæ multum Academiæ, quæ tanti viri vocent vestris in pulpitis, personantem audiuistis! Felix tu inprimis Oxonium, cui ille primam suam tuis in scholis vocem, dum Theologiæ sublimioris arcana interpretatur, cōsecrauit. Felicior tu Lutetia, quæ cùm illum primo in Academia tua loco donauisses, illam ipse insolito splendore prorsus illustrauit. Felicissima tu vero Colonia, quæ, vt olim venienti Platoni Syracusanorum Rex quadrijugis albis & vittatâ naui, ita tu Scoto aduentanti magna populi frequentia, celebri magnatum tuorum apparatu ita occurristi, vt eum non aliter quam Solem aliquem tibi exorientem susciperes & amplectereris. Tuam ipse Academiam diuinæ suæ sapientię radijs illustrauit, & cum mori aliquando deberet, in tuo sinu moriendo conquieuit. Quid? & extinctus est aliquando Sol ille, à cuius æterno lumine scientę omnes lucem acceperunt? Extinctus est. Et obijt ille morte superatus, qui omnem immortalitatem sapientię opinione promeruit? obijt. Et excidit ingeniū illud, quod explicabat.

plicabat, quicquid erat summa difficultate interceptum: quod illustrabat, quicquid erat densissima caligine inuolutum? quod penetrabat, & eruebat, quicquid infra tenebras ipsas occultum abstrusumque erat? quod tanquam Oedipus dissoluebat quicquid in omni Sapientiæ parte nodosum reperiebatur? Excidit, & non est amplius vir ille, qui non tam homo acie mentis stupendus, quam inter sapientes quidam existebat Deus? ille vir, inquam, (ac ne vir quidem per ætatem) qui in nullo vel tantillo vnquam errore fuit reprehensus? Non est amplius. Non est amplius? Imò, imò, Extinctus non est, neque enim extingui sol potest. Non obijt, neque enim obire potest, qui est immortalis. Non excidit, neque enim qui gloriæ fastigium occupat, vlla inuidia hominum, aut obliuione temporum potest deturbari. Non esse desijt, nam vt semper esset per virtutem & sapientiam suam effecit. Viuit & viuit immortalis Scotus, docet Scotus, Academias exornat Scotus. At vbi viuit Scotus? In orbis vniuersi scholis & Academijs: vbi docet? In primis celeberrimarum toto orbe Academiarum cathedris ac pulpitis. Docet in regia Parisiensi Academia, quæ ex conscriptis ab eo libris suos, vt plurimū

articulosq; toti orbi exposuit, & nunc etiam propugnat. Docet in alma Complutensi Academia, vbi prima sedes Scoti doctrinam defendit ac tuetur. Docet in Salmāticensi famosissima vniuersitate, vbi inter cæteras celeberrimas gloriosissima est, quę Scoti Theologiam diuinamque sapientiam, sedes, profitetur. Docet Conimbricæ, nam & hæc quoque nobilis Academia Scoto sedem ac pulpitū erexit, vt ex eo illustrem eius sapientiam, qui auditores essent, haurirent. Verbo, vt absoluam, docet in Orbe vniuerso Scotus, cuius sententijs ac opinionibus omnium Academiarum, Scholarum, Cœnobiorum pulpita suggestusque personāt. Imo docet orbem vniuersum Scotus; à quo quicquid est vnquam litteris ad posteritatem transmissum, Purpuratorum Romæ Patrum seu Cardinalium authoritate ac decreto typis ad publicam hominū omnium vtilitatem commendatur. Non ignoro ingenia quædām (inuidiáne dicam an dicendi libertate commota?) sed, ingenia tamen quædam, quæ insolentiæ temeritatique suæ modum ponere nec sciunt, nec possunt, suos calamos in hoc sapientię miraculum strinxisse. Scio nonnullos etiānum esse, qui cum aliquam ab inusitata

Sapien-

Sapientia, adeoque ab ipsa Eloquentia, commendationem quærant, in Scotum debacchantur, stylum armant, commentitijs periodis instruunt, amplificationibus falsissimis extendunt, mordacissimis verbis acuunt, tantum non dentes aut vngues exerunt. Ita (si Dijs placet) victoriam petunt, qui porrigere de se herbam, palmamque coguntur. Ita triũphum ducere volunt, qui ne pugnare quidem sciunt. Quasi verò satis sit inuidere, vt vincatur: satis calumniari, vt triumphetur. Tantus sol nubeculas istas vno radio dispellit, & Ecclypsin pati non potest. Tanta Aquila dum in aëre sublimi volat, exsurgentes è terra vapores non sentit. Exuit ætatis senectutem & æternæ gloriç famæque iuuentutem immortalis induit. Quid inuidiam stringunt? Inuidere possunt, nocere non possunt. Quid pugnam volunt? Semper è pugna victor Scotus discessit. Quid stylum vibrant? Tangi ne quidem Scotus potest. Quid conuitia & calumnias eructant? sua ipsæ falsitate iacent. Quanquam nè arenam rursus meditemur, vbi victoriç certitudo iam triumphum adornauit, iacet, & si frendet, inuidia, ceciderunt calumniç, reiecta sunt ingeniosa & inuidiosa commenta, & iam ex operosis operibus,

ex

ex portentosis voluminibus, ex inglorijs illis libris quicquid in Scotum inuidia excogitauit, quidquid calumnia euomuit, quicquid armatus liuore calamus consignauit. Delendum est, exterminandum & ęternæ obliuioni tradendum est. Ita veritas ipsa comprobauit, voluit, præcepit. Adeo iam Orbis vniuersus tibi Scote, liberâ voce & manu applaudit; tibi, inquam, Inuidiæ victori, Sapientię Regi, Theologiæ Principi, trophæum Æternę Memorię, & Immortalis Famę libenter erigit. Ego vero paruum hoc Eloquentię tibi deuotę Monumentum sempiternę laudi tuæ, etsi impar dignitati, merito & ex animo pono.

FINIS.



# ELENCHVS RERVM.


SCotus quorumdam passus est inuidiam. pag. 1

Tria regna pro eius Natalitijs decertant, pag. 3

Hibernis adiudicatur, pag. 6

Vnde dictus Duns? p. 9

Quando natus? p. 17

A Beata Virgine bono donatur ingenio, ibidem.

An acumen ingenij fuerit illi natiuum, & à B. Virgine solum adauctum? p. 137.

Fit minorita, & vbi? p. 18. & p. 137.

Scoti magister, p. 18.


Non

*Non fuit discipulus Alensis.* p. 19.

*Omnes fermè possedit scientias.* p. 20.

*Pleriq; Theologorum Principem vocitant,* p. 21

*Aliorum de eius doctrinâ encomia,* ibid.

*Magno applausu, legit, & scribit Oxonij,* p. 25

*Modestè scribit, & alios refutat,* p. 29

*Eius opiniones catholicæ, nec vllæ vnquam condemnatæ,* p. 30.

*Quæ scripserit Parisijs?* p. 32.

*Præsentatur ad Baccaulareatum,* p. 34.

*Doctoris lauream suscipit, & pro Immaculatâ Virginis conceptione primùm Parisijs decertat.* pag. 37.

*Opinionem de Immaculatâ conceptione vniuersitas Parisiensis amplectitur,* p. 38
*Vouet quotannis Celebrare festiuitatem Immac. Conceptionis, ibidem.*
*Statua marmorea B. V. Scoto ad disputationẽ eunti, ac opẽ imploranti caput inclinat, & inclinato capite perseuerat,* p. 40.
*Vnde illi nomen Subtilis?* p. 41
*Coloniam mittitur, & quâ de causâ?* p. 42
*Aduenienti vniuersa Ciuitas obuiam procedit,* pag. 49
*Piè moritur.* p. 50.
*An defunctus sit apoplexiâ?* pag. 51.
*An viuus sepultus?* p. 53
*An violenter perierit in sepulchro?* p. 54

*Vnde calumniæ speciem deduxit Iouius, & initium sumpserit fabella?* pag. 60
*An in ecstasi fuerit sepultus.* pag. 62.
*Mors Scoti naturalis fuit more aliarum, celer tamen.* p. 67
*Eius Epitaphia.* p. 71
*An subscripserit Scotus operibus Raymundi Lulli?* p. 75.
*Variæ translationes corporis eius.* p. 77
*Laudatur.* p. 88. & 89.
*Scoti pietas & plurimę virtutes.* p. 89.
*Paupertas,* ibid.
*Obedientia.* p. 90
*Castitas.* ibid.
*Charitas in Deum.* p. 91
*Eum laudant graues Authores.* p. 92

*Charitas erga proximũ,* ibid.
*Christum infantem vlnis excepit.* p. 94
*Multi Diuum appellant.* p. 95
*Adest se inuocantibus,* ibid.
*Eius doctrina Ecclesiæ proficua.* p. 97.
*Quare censetur D. T. Aduersarius?* p. 97
*Magnifit in Academijs.* p. 98
*Approbatur à supremo Hispaniarum Concilio.* p. 101. & 106.
*Odio habetur ab hæreticis,* p. 108
*Duo cõmuniter ipsi obiecta refelluntur.* p. 111
*Aliorum elogia de eius doctrina.* p. 117
*Eius discipuli,* p. 125
*Eius Doctrina inconcussa.* p. 131.

A quo

*A quo tempore cępit haberi pro communi Magistro?* p. 132

*Apologiæ pro ipso.* p. 133

*Qui eius vitam scripserunt?* p. 134. & 143.

*Qui de eius laudibus egerunt?* p. 143.

*Quæ omnia succinctè comprehensa repetuntur in panegyricô Vernulæi.*

## *Errata præcipua.*

Pag. 12. lin. 24. explicat lege explicit. pag. 37. lin. 8. plurimum lege primum. pag. 73. lin. 3. genuit lege gemit. pag. 84. lin. 7. illustrimâ in Ciuitatem lege illustrissimam Ciuitatem. pag. 100. lin. 21. dele esse. pag. 101. linea 10. eos, lege cos. pag. 124. incommoda lege commoda pag. 138. lin. 1. lege ex communi traditione non omnino pugnant.

